Quid e Cournoti disciplina ad scientias "sociologicas" promovendas sumere liceat

---

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI PROPONEBAT

C. BOUGLÉ

[illegible]
[illegible]



CARNUTI
APUD DURAND, TYPOGRAPHUM
M DCCC XCIX



Quid e Cournoti disciplinâ ad cientias "sociologicas" promovendas sumere liceat

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI PROPONEBAT

C. BOUGLÉ

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

IN FACULTATE LITTERARUM MONSPELIENSI COLLOQUIIS PRÆPOSITUS



CARNUTI

APUD DURAND, TYPOGRAPHUM

M DCCC XCIX

IN MEMORIAM AUGUSTINI COURNOTI.

Non is enim fuit Noster qui, recentiorum philosophorum more, a scientiarum disciplina abstineret ut philosophiæ commentationibus se dederet totum. Imo, postquam mathematicis studuit, non satis habuit si de arte conjectandi, de infinitis computationibus, aut de algebræ et geometriæ convenientia dissereret[1]; more mathematico de rebus æconomicis agere conatus est[2]: mox, qua ratione diversi modi cognoscendi inter se cognati, scientiarum disciplinæ concatenatæ, imo, doctrinæ ac res, nostris quidem ætatibus, connexæ viderentur, multis libris explicavit[3]; eodem tempore, publicæ institutioni præpositus, non oblitus est memoriæ mandare quid juvenum cultui profuturum, quid obfuturum esse judicaret[4]; nullam denique earum quæstionum quas vivendi vel cognoscendi præceptores agitare solent a se alienam Cournotus putavit.

Tot autem de rebus non ita disseruit Noster ut ejus

1. Traité élémentaire de la théorie des fonctions et du calcul infinitésimal, 2e éd., 1857, 2 vol. — Exposition de la théorie des chances et des probabilités, 1843. — De l'origine et des limites de la correspondance entre l'algèbre et la géométrie, 1847.

2. Recherches sur les principes mathématiques de la théorie des richesses, 1838. — Principes de la théorie des richesses, 1863. — Revue sommaire des doctrines économiques, 1877.

3. Essai sur les fondements de nos connaissances et sur les caractères de la critique philosophique, 1851, 2 vol. — Traité de l'enchaînement des idées fondamentales dans les sciences et dans l'histoire, 1861, 2 vol. — Considérations sur la marche des idées et des événements dans les temps modernes, 1872, 2 vol. — Matérialisme, vitalisme, rationalisme, 1875.

4. Des institutions d'instruction publique en France, 1864.

ıəti discıplinâ

·d

ıcas" promovendas

·e liceat

I ESIM

I V ERSITATE PARISIENSI PROPONEBAT

BOUGLÉ

··ALIS OLIM ALUMNUS
MONSPELIENSI COLLOQUIIS PRÆPOSITUS



CARNUTI
·AND, TYPOGRAPHUM
M DCCC XCIX

pretationem adhibere. Quæ ut componeretur, is reperiendus fuit commentator — rara avis nostra quidem ætate — qui esset diversarum scientiarum elementis imbutus, ac simul philosophicis systematibus comprehendendis assuetus, nec non ingenio ductilissimo præditus. Quid igitur dicimus ? Nisi, ad Cournoti philosophiam interpretendam, Cournotum alterum esse exspectandum !

*
* *

Quæ cum ita essent, a Cournoti philosophia tota restituenda destitimus, et satis habuimus si. ejus philosophiæ fundamentis, quoad necessarium esset, repetitis, ex illa sumeremus quæ ad quasdam scientias constituendas viderentur utilissima : eas silicet quas, ut novas res novis verbis significemus, « sociologicas », Comtio auctore, nominamus.

Etenim, quoniam hodierno die, de methodo qua illæ novissimæ scientiæ progredi deberent, tot disputationes excitatæ, tot opiniones jactatæ sunt, haud inane visum est exquirere, an e viri et doctrinæ cohærentia, et notionum diversitate, et ingenii flexibilitate egregii aliqua haurire liceret, quibus certantes philosophi ac historici reconciliari, scientiæ autem ipsæ promoveri possent.

Accedit eo quod, ut Cournoti omnes opiniones parum diffusæ esse, ita eae, quæ ad societatum naturam et

vitam attinent, æquales nostros maxime fugere videntur. Raro enim qui de scientiis historicis agunt quicquam a Cournotiana philosophia sumunt[1]. In hac aut illa sociologicarum doctrinarum recensione, in qua tenuissimorum scriptorum nomina liberaliter enumerantur, vix nomem Cournoti citatum reperias[2].

Ex quo intelligere jam licet, quamobrem has potissimum Cournoti opiniones, quæ in sociologicis rebus versantur, retinere cupiamus et ad lucem reducere : utpote quæ nobis, cum minime vulgatæ esse, tum maxima utilitate vulgatum iri videantur.

1. Excipe *Tarde* ; cujus liber cui inscribitur : *Les lois de l'Imitation* « in memoriam Cournoti » compositus fuit. Verba procemii, quibus philosophus ille Cournoti ingenium collaudat, liceat in hoc loco transcribere : « Si mon livre... était mal accueilli, ma dédicace m'offrirait à propos un « sujet de consolation. En songeant, alors, que Cournot, ce Sainte-Beuve « de la critique philosophique, cet esprit aussi original que judicieux, aussi « encyclopédique et compréhensif que pénétrant, ce géomètre profond, « ce logicien hors ligne, cet économiste hors cadres, précurseur méconnu « des économistes nouveaux, et pour tout dire, cet Auguste Comte « épuré, condensé, affiné, a toute sa vie pensé dans l'ombre et n'est même « pas très connu depuis sa mort, comment oserais-je un jour me plaindre « de n'avoir pas eu plus de succès ? »

2. Ex. gr., in Barth. *Die Philosophie der Geschichte als Sociologie*, I, Leipzig, 1897. — Stein. *Die sociale Frage im Lichte der Philosophie*, Stuttgart, 1897 — Renouvier. *Philosophie analytique de l'histoire*, IV. Paris, 1897, Cournotiana doctrina prætcritur. Cujus mentionem faciunt Seignobos et Langlois : *Introduction aux études historiques*. Paris, 1898, p. 212 (in not.).

I

DE CASIBUS

Multi sunt quibus quicumque « sociologicas » scientias constituere, id est, historicas leges detegere conatur, opus tentare videtur omnino inane : nec paucis argumentis nititur hoc præjudicium.

Alii, interiore experientia subnixi, negant eventa determinari posse, quæ ex libero cujuscumque arbitrio pendeant. Alii, cum vulgus ea facultate carere sint experti, qua aut arceantur aut deflectantur flumina rerum, hæc e virorum illustrium dictis et gestis fluere existimant. Alii, non hominum intentæ voluntati, sed rerum dispositioni summam vim tribuentes, affirmant cursum populorum a magnis inexspectatisque commutationibus procedere ; alii, eumdem minimis et abditissimis momentis esse obnoxium.

Quamvis diversa, ex uno fonte argumenta illa vim hauriunt : ex quo nescio an omnes Pyrrhoniorum nostrorum loci communes emanent : id est, e Fortunæ aut casuum respectu. Qui, aut rebus aut hominibus

facultatem assignat fata statim avertendi, e casuum experientia sumit argumentum. Gesta hominum aut momenta rerum nequeunt viam indictam permutare nisi Fortuna duce. Quia casibus creberrimis ac diversissimis obnoxiæ sunt res humanæ, idcirco « sociologicis » legibus res humanæ subjici videntur non posse. Quia Fortuna res quæ ab hominibus geruntur regit, idcirco rerum gestarum scriptores illa cognoscendi arte uti nequeunt, cui « scientiæ » nomen jure vindicatur.

Ex quo jam percipias, quamobrem nobis utile sit Cournoti potissimum explorare sententiam : quippe cujus systema Fortunæ deæ, ut ita dicam, videatur esse dedicatum. Nonne Cournoti fuit, ut ipse refert[1], casus studio, a plerisque philosophis si non contempto, at neglecto, primum concedere locum ? Hoc est Ariadnæum filum, quo ductus e diversissimis ἀπορίαις, mathematicis aut æconomicis aut historicis sollertissime evadat. Hoc adhibito principio vel criterio iis opinionibus quæ ex arte conjectandi, ex inductione aut analogia, ex historicis aut statisticis observationibus oriuntur, dispensat auctoritatem[2]. Sive quo modo res gignantur

1. *Considérations sur la marche des idées*, I, chap. 1.

2. *Fondements de nos connaissances*, I, chap. 3, 4, 5. — Cf. *Matérialisme, vitalisme, rationalisme*, p. 341 : « La probabilité mathématique, l'induction, l'analogie, la critique des témoignages et des documents de l'histoire ont cela de commun qu'elles impliquent toutes plus ou moins l'idée du hasard, qu'elles en naissent pour ainsi dire .. »

inquirit, sive quo modo cognoscantur[1], præsentem semper in animo tenet Noster Fortunæ indubitabilem potestatem.

Primum igitur qua sub specie Cournotus Fortunam existere et agere censeat, nobis absolvendum est.

Is enim, quanquam dogmaticis opinionibus repugnat, non idcirco illis idearum cultoribus sese adnumerari patitur qui de rebus ipsis dubitant[2]. Irritam quidem vel potius periculosam habet metaphysicam substantiarum indagationem[3], at idem « reales » tenet leges phænomenorum, scientifica inquisitione detectas. Kantium aperte vituperat, cui leges istae in intellectu potius quam in rebus fundatæ esse videantur[4]. Dummodo quædam phænomenorum convenientia non solum crebra vel constans percipiatur, sed etiam simplex concipiatur, eam a rerum ipsarum lege potius quam ab intellectus nostri decreto pendere jure censemus. Simplicitas index est veritatis[5]. Ordo

1. *Marche des Idées*, I, p. 2 : « La raison même nous impose l'idée du hasard... Elle est le principe de toute espèce de critique... »

2. *Fondem. de nos conn.*, vol. II, chap. 24 et 25.

3. *Matérialisme*, p. 5 : « L'idée de substance a singulièrement contribué à égarer les philosophes. »

4. *Fondem. de nos conn.*, II, p. 380 : « Nous pouvons très bien croire, contrairement à l'assertion de Kant, que nos représentations se règlent sur les phénomènes, et non les phénomènes sur nos représentations, c'est-à dire que l'ordre qui est dans nos représentations vient de l'ordre qui est dans les phénomènes, et non pas inversement. »

5. *Matérialisme*, p. 349 sqq.

cujus, si Bossuetio credimus, amica est ratio[1], rebus quoque inest : qui ab hominibus non factus, sed patefactus esse videtur. Quo simplicius phænomena thesi aliqua ordinantur, eo probabilius est rebus thesim eam consentire. Quæ sensus effugiunt, res ipsas, ordine duce, apprehendit Ratio[2].

Quid ! nonne ea tantum quæ ex ordine procedunt, « realia » existimas ? sic enim existimaverunt plerique philosophi, quibus simplicitas et ordinatio phænomenorum index fuit veritatis. Quidquid ordinem perturbat, hoc « irreale » declarant; nec dubitant quin, rebus accuratius observatis et altius inspectis, phantasmata illa evanescant, exceptiones ad regulas reducantur. Quare homines diversissimo ingenio, quales sunt Bossuet, Voltaire, Laplace, una voce eadem fere de fortuna dicunt quæ Spinoza de libertate : ignoratio causarum fons est ejus opinionis, quæ sortibus tantam concedit potestatem. Intellectui divino, vel intellectui humano perfecto omnia determinata sunt ; nil evenit casu. Quod maxime negat Cournotus. Intellectui divino omnia determinata esse possunt, nec eo minus casu

1. *Fondem. de nos conn.*, I, p. 29 ; II, p. 383.

2. *Fondem. de nos conn.*, II, p. 338 sqq. : « Lorsqu'à la faveur de conceptions claires et distinctes nous parvenons à relier les phénomènes par des lois simples, à les soumettre à une coordination régulière, il répugne à la raison d'admettre que de telles lois sont fantastiques ; que les conceptions qui les expriment ne tiennent qu'à la nature de nos idées, et n'ont aucun fondement dans la nature des choses extérieures. »

quædam evenire[1]. Kleber et Desaix, non eodem loco, eodem die occidantur : quam concursionem etiamsi deus prospexerit, fortuitam habebimus. Eventa sunt simul et fortuita et prævisa. Idcirco non est scientiæ melius munitæ, veluti clarioris lucis est tenebras omnes fugare, casus quasi abolere.

Inter eos igitur qui ideas in rebus quodam modo fundatas esse arbitrantur, hoc est Nostro peculiare : non modo principium ordinis, sed etiam perturbationum principium « objectivum » esse affirmat ; vetat irrationalia cum irrealibus confundi : et Rationem et Fortunam, quanquam certantes, aeque existentiæ ait esse participes.

Verum enim vero cavendum est ne sermone et praesertim latino sermone decepti, nominibus numina supponamus. Non est Cournoti discipulus si quis Fortunam veluti deam concipit dominatricem rerum et omnia nutu regentem. Sententia Nostri Fortuna non solum voluntas est nulla, sed ne causa quidem est propria. Nam si quid evenit casu, hoc a nulla fluit vi peculiari. Quid? Quæ casu eveniunt, hæc sine causa evenire dicas? Absurdum[2]. Sed eventa sunt non causa

1. *Matérialisme*, p. 305 sqq. « Non, le mot de hasard n'est pas sans relation avec la réalité extérieure, il exprime une idée qui a sa manifestation dans des phénomènes observables et une efficacité dont il est tenu compte dans le gouvernement du monde ; une idée fondée en raison, même pour des intelligences fort supérieures à l'intelligence humaine, et qui pénétreraient dans une multitude de causes que nous ignorons. »

2. *Marche des Idées*, I, p. 4 : « L'idée d'un fait accidentel n'implique pas l'hypothèse absurde d'un effet sans cause. »

sed propria causa carentia. Fingas effectuum et causarum duas series, sub specie duarum linearum. Eae plerumque ex adverso positæ, sejunctæ, extraneæ extendantur; tunc suum utraque series normale efficiet opus. At quandoque fiat ut una in alteram incidat, et inter se secent; tunc aliquid orietur novi quod e neutra serie, sejunctim posita, ducetur, nec tamen e nova serie, sed e priorum concursu et intersectione effluet. Quæ sic gignuntur, ea dicimus casu evenire. Id est, e Fortuna pendere Cournotus existimat phænomena quæcumque, nec sine causa nec a peculiari causa, sed a sejunctarum causarum conjunctione in lucem proferuntur[1].

Quam definitionem ut plane intelligamus, restat ut indicia enuntiemus quibus causarum series vere sejunctas discernere liceat. Etenim causarum series lineis parallelis æquiparare non satis est. Non omnis causa vis mechanica est, quæ in spatio extendi possit. Quod si istius causarum sejunctionis notionem quam maxime latam concipere conamur, eam invenire licet series non spatio sed cogitatione comprehensas effingendo. Eidem seriei diversa inhærent phænomena si modo haec veluti earumdem proprietatum effectus

1. *Fondem. de nos conn.*, I, p. 39-49.

2. *Matérialisme*, p. 305-315 : « L'idée du hasard est celle de l'indépendance actuelle et de la rencontre accidentelle de diverses chaînes ou séries de causes. »

explicari, id est ab iisdem generalibus notionibus deduci possint[1]. Connexas esse dicemus duas series quæ prius extraneæ fuerunt ubi communem fontem, ex quo utraque fluat, invenerimus : id est, ubi eas veluti portiones unius ejusdemque systematis comprehendere licuerit. Eo igitur quod rerum diversitatem in unum systema cogere non possumus, Fortunam inter realia recipere cogimur.

Ex phænomenorum naturali varietate fit ut mundus quasi duobus principiis confectus et constitutus esse videatur, Ratione scilicet et Fortuna : quarum quid quæque in phænomenis variis efficiat, quidque per se valeat, scientiarum est, philosophia duce, discernere ac metiri.

*
* *

Quæ cum ita sint, operæ pretium est breviter recensere quibus modis Scientia ea quæ Rationi conveniant quasi subripiat Fortunæ, et qualia notionum genera genere quoque scientiarum e diversis rerum casibus auferri possint.

Rationis est, ut vidimus, phænomenorum simplicem

1. *Enchaînement des idées fondamentales*, I, p. 101 : « Les caractères de la succession fortuite tiendraient pour cette intelligence supérieure aussi bien que pour nous, à ce qu'il n'y a nulle solidarité, nulle dépendance rationnelle » entre les deux séries de causes concourantes.

explicationem invenire. Cujus opera series primo aspectu diversæ ac separatæ inter se connectuntur et in aliquod coguntur systema. Quod si eventus non respicimus ut ita dicam externos, quibus horum systematum interior ordinatio perturbari possit, rerum permanentes convenientias enuntiare licet, quarum auxilio phænomena non modo comperta sed interpretata habeamus, quasque, non modo constantiæ, sed præsertim simplicitatis causa ut naturales leges suspicere possimus. Sic non mathematicæ solum, sed et physicæ et chimicæ scientiæ immutabiles rerum proprietates detexerunt[1], e quibus observata phænomena simpliciter deducere liceret. Cognitio quam scientiæ sic paratæ nobis præstant est æternarum naturæ legum possessio : qua in mundum inducimur perenniorem ære.

Hac autem possessione quoties prohibemur ! Quot phænomena comperire tantum possumus, non ex aliqua permanente proprietate deducere ! Quorum si rationem reddere volumus, eam non e lege æterna sed e priore aliquo evento sumere licet, cujus rationem prius eventum reddit, et sic in infinitum. Ex hujus modi serie et tanquam catena si quis anulus per oblivionem inter-

1. *Fondem. de nos conn.*, p. 193 : « Telles sont la chimie et la physique proprement dite qui traitent de lois que nous considérons comme immuables, et de propriétés que nous supposons avoir toujours été inhérentes à la matière. » — Cf. *Enchaîn. des Idées fondamentales*, II, p. 316.

ciderit, nemo est qui vi intellectus eum conjiciendo quasi instaurare possit[1] : memoria enim tales anuli tenentur, non concipiuntur ratione. Quibus e seriebus systemata constituere non licet ; quippe quæ, non cogitationis, sed temporum ratione concatenatæ, sese invicem sine intermissione secent implicent ac perturbent, hoc est, Fortunæ latum aperiant campum. E Fortuna autem pendent non modo rerum initiales collocationes, sed etiam posteriores congregationes[2], quas nobis non explicare, sed narrare tantum in promptu est. Hoc est « historicæ » cognitionis principium et fons[3], quæ Nostro non solum, ut Baconi, pro ratione facultatum humanarum a « theorica » cognitione discernenda videtur, sed etiam pro ratione rerum. Theorica cognitione, ut supra vidimus, permanentes et cohærentes et simplices proprietates concipiuntur : historica autem eventa traduntur neque constantia

1. *Matérialisme*, p. 129. « La cause de tous ces faits est dans des faits antécédents, dans des données que nous nommons historiques, non que nous puissions la connaître historiquement, attendu que les monuments d'une telle histoire ont presque tous péri, mais parce que nous concevons une série de faits ou d'événements qu'un témoin intelligent aurait pu noter dans leur temps et qui donneraient la clé des faits actuels, sans que rien puisse dedommager de la perte des documents historiques quand elle est complète. »

2. *Matérialisme*, p. 67 : Il faut distinguer de ce qui est essentiel ou nécessaire en vertu d'une loi « ce qui résulte accidentellement ou fortuitement de certaines dispositions initiales ou de certaines rencontres dont nous n'admettons pas la nécessité en vertu d'une loi. »

3. *Fondem. de nos conn.*, II, chap. 20.

neque cohærentia et sese invicem perturbantia. Ex quo videtur mundus quasi e duobus mundis constitutus tam diversis ut eos suo quemque nomine Cournotus designare velit : « Naturæ » immutabili mobilem opponit Κόσμον[1].

Quantum in toto mundo valeat hoc imperium Fortunæ valde manifestum erit animadvertenti nullam esse scientiam, — mathematicis exceptis, — quin aliqua ex parte sit « cosmologica ». Non rerum humanarum tantum sed etiam naturalium historia est : est Ætnæ æque ac Romæ[2]. Animantium non solum collocationes, sed etiam species ipsæ describendæ potius quam deducendæ sunt. Confer istas propositiones : « Omnis fluidi globi, dum vertitur, poli complanantur[3] ». « Omnium animalium quæ lacte aluntur septem sunt cervicales vertebræ[4] ». Quibus juxtapositis intelligitur quantum a lege universali quæ sub specie æternitatis concipi potest, distent « facta » quæ solum percipi possunt. At ne credas ab illis scientiis, quibus leges conduntur, nihil unquam percipi. Newtonis discipulo non solum cometæ observandæ sunt quibus nostrorum astrorum cursus perturbari possint, sed etiam, ab initio, certa

1. *Fondem. de nos conn.*, II, p. 267. — *Matérialisme*, p. 69, 127.
2. *Fondem. de nos conn.*, II, p. 179.
3. *Matérialisme*, p. 67.
4. *Enchaîn. des Idées*, II, p. 340.

eorumdem astrorum intervalla et pondera consignanda [1]. Lavoisieri discipulorum non est deducere qua ratione generata sint simplicia corpora [2]. Imo physico ipsi elementa « accipienda » sunt, non deducenda. Quod Cournotus si in prioribus operibus non notavit [3], in ultimis valde affirmat [4] : physico quoque necessariam esse memorat cosmologicam eventuum cognitionem, qui aut ex initiali elementorum collocatione, aut e posteriore conjunctione pendeant. In summa : omnis scientia si modo quid de phænomenis affirmat, de casibus plus minusve agere debet. E sorte enim pendere dicimus quæcumque e legibus non ducuntur. Ne multa, Rationi omnes « leges » adscribimus : Fortunæ omnia « facta ».

Quid! Num veluti absoluto hoc discrimine utendum est? Adeo ut, ubi leges simplices et æternas reperire non liceat, nihil jam scientiis remaneat inquirendum? Nullo modo. Non favet Noster absolutis decretis :

1. *Fondem. de nos conn.*, II, p. 195 : « La mécanique céleste ne nous fait point connaître les causes qui ont établi entre les corps du système de tels rapports de distances et de masses, que l'ordre une fois établi, tendait de lui-même à se perpétuer. »

2. *Matérialisme*, p. 8.

3. *Fondem. de nos conn.*, I, p. 193.

4. *Matérialisme*, p. 72 : Il faut tenir compte « des faits ou des accidents produits par la disposition initiale des éléments du monde matériel et par le jeu des forces physico-chimiques, en tant qu'il amène des séries de faits ou d'événements, entre lesquelles n'existe aucun lien de solidarité. »

inter leges puras et mera facta quasi media quaedam inserere conabitur.

E tot discrepantium eventuum æstu nonne aliquid interdum emergit stabile ? Alia semel, alia sæpius eveniunt. Sunt quæ in certis rebus contigua et coalescentia quasi fideliter eodem tempore redeant. In animantium præsertim speciebus tales convenientias iterum atque iterum observare licet. Quas etiamsi a simplici quadam proprietatum conjunctione ducere nequeamus, tamen ut constantibus nescio quid normale eis adscribere debemus. Propterea quod, tot variis casibus, eadem attributorum inter se convenientium conjunctio iteratur, conjunctio non videtur e casu pendere. Sic isti propositioni : « Omnium animalium quae lacte aluntur septem sunt cervicales vertebræ » dignitatem ut ita dicam « typicam » conferas. Tali notione duce, discernere possis quid rei cuique, quid generi universo proprium sit, quid per accidens, quid per essentiam eveniat, quid Fortuna, quid Natura [1]. Licet rationem qua diversa attributa iterum atque iterum cohærentia cernantur non concipias : satis est eorum cohærentiam semper et ubique percipere ut censeas eam e lege quadam procedere, si non simplici, saltem constanti, si non scientifica, saltem, ut Millius diceret, « empirica » [2].

1. *Fondem. de nos conn.*, II, p. 275.

2. *Enchaîn. des Idées*, II, p. 351 : « Tous les mammifères (à une ou deux exceptions près) ont sept vertèbres cervicales ; nous n'en voyons point

At non tantum rerum simul existentium, sed etiam « consequentium » tales leges licet in lucem producere[1]. In ipsa mobilitate rerum periodicos discernimus reditus. Animantes, a natali die usque ad mortem, normalibus quibusdam commutationibus videntur obnoxii. Terræ ipsius in historia ordinatos cursus normalia que momenta Geologici discernunt. In hac quoque materia causas stabiles, constitutioni systematis quod regunt quasi inhærentes, a vere fortuitis et exterioribus causis sejungere possumus[2] : hic quoque distinguendum est quid natura, quid fortuna eveniat. Quod si cometæ occursu, vel præviso, orbis terrarum frangatur, hoc eveniat per accidens ; quod si suum calorem idem paulatim amittit, hoc fit per legem[3]. Fortuitam mortem a morte naturali quivis secernere valet. Phænomenorum consecutionem, perinde ac conjunctionem etiamsi non deducere, sed tantum describere possis, tamen, dummodo constans sit, lege quadam regi jure contendas.

E quibus apparet nos jam, Cournoto duce, non

la raison théorique... cette constance de nombre est donc pour nous un fait plutôt qu'une loi... Mais, ce qu'on ne pourrait raisonnablement admettre, c'est qu'il n'y ait pas là une condition dominante, inhérente à la constitution du type des mammifères. »

1. *Fondem. de nos conn.*, II, p. 201.

2. *Fondem. de nos conn.*, II, p. 185 : Il ne faut pas confondre « les événements dont la série est déterminée par les lois et par la constitution propre du système, avec les perturbations accidentelles, adventices, dont la cause est en dehors de ce système. »

3. *Marche des Idées et des Événements*, I, p. 4.

mundum ita scindere ut ejus duo disjecta membra nullo modo unquam componi possint. Inter leges æternas, quarum necessitatem concipimus et inconstantia facta, quæ fortuito casu nobis occurrunt, licet facta normalia, vel potius leges empiricas patefacere, quæ, si non æternæ sunt nec universales, ordini cuidam diversitatem rerum spatio ac tempore distantium subjiciant.

Quin imo, etiamsi tales leges intellectum effugiant, non ideo omnis spes ordinis alicujus instituendi prohibetur. Finge concreta quæ percipimus systemata vel chronologicas series aspectus præbere diversiores quam ut similitudinem quamdam, seu conjunctione, seu consecutione phænomenorum præstent : non est tamen cur ab omni intellectus conatu abstineas, perinde ac si omnia indistincte pendeant e Fortunæ nutu. Montium enim et fluminum quanquam generales species definire haud facile est, licet tamen determinare summatim quo pergat hoc flumen, quo hic mons extendatur : e diversitate vallium inter se occurrentium tractus major montis quasi emergit. nec flexuosissimi recursus impediunt quin fluminis iter præpotens prospiciatur[1]. Sic eventa ipsa, « sine ulla theoria », a minoribus majora

1. *Fondem. de nos conn.*, I, p. 203 : « Malgré le désordre et l'enchevêtrement des causes fortuites et secondaires dans les accidents de détail ». nous pouvons, « en l'absence de toute théorie, saisir une allure générale des événements, distinguer des périodes d'accroissement et de décroissement, de progrès, de station et de décadence... »

sejungere in promptu est, et series discernere quarum aliæ plane extraneæ, aliæ potius connexæ esse videantur, aliæ fugaces, aliæ stabiliores, aliæ, ut ita dicam, secundariæ, aliæ primariæ [1]. Qua διακρίσει, etiamsi oblatos complexus inter se comparare haud facile sit, nulla fere est eventorum concursio quin quodam modo ordinari possit. Licet, in talibus concursionibus, nullas simplices vel ne constantes quidem leges deprehendas : restat ut eventa majora discernas atque, si dicere licet, præpotentia.

Tenendum igitur animo est omnia qualiacumque sint eventa non æqualiter e fortuna pendere. Quæ omnia, dum facta summatim rationalibus legibus opponimus, sorti obnoxia esse jure contendimus ; si vero eadem inter se comparamus, operæ pretium est metiri e quot majoribus minoribusve casibus hoc aut illud emanet, atque, a meris accidentibus maximi momenti facta discernere, quæ nobis e norma quadam et pæne e natura evenire videantur.

Rationis igitur officium est non primo Fortunæ ictu demittere animum. In potestate est intellectus, tribus magis et magis contractis circummunitionibus, ex-

1. *Enchaînem. des Idées fondam.*, II, 352. Il est possible de « discerner dans l'ensemble des événements historiques des faits généraux, dominants, qui en forment comme la charpente ou l'ossature ; de montrer comment à ces faits généraux et de premier ordre s'en subordonnent d'autres... »

pugnare terras casibus antea plane derelictas. Quorum quanquam vis, e concursione phænomenorum natura diversorum effluens, indubitabilis remanet, non obstare potest quin aut *leges rationales* aut *leges empiricas* aut saltem *eventa majora* discernamus.

Sic, in κόσμῳ illo, quamvis fugaci ac lubrico, Natura quædam permanet, quam diversæ Scientiæ. aliæ facilius, difficilius aliæ detegunt ; de medio fonte contingentium surgit aliquid constans.

Principiis illis commemoratis, quæ e Cournoti philosophia fluunt, nunc est inquirendum quid hæ scientiæ quæ de rebus sociologicis agunt tentare debeant, quid sperare possint.

II

DE MAJORIBUS EVENTIS

Eam, quæ proprie historia vocatur, rerum ab hominibus gestarum cognitionem, difficillimam esse non celat Noster : quippe qui Fortunam humanas potissimum res regere, vel potius perturbare profiteatur. Perinde ac Comtius, scientias gradu Cournotus disponit, secundum naturam phænomenorum a quaque descriptorum[1] : phænomena vero quæ ad ultimas, id est ad sociologicas scientias pertinent, non ut minime simplicia tantum definit, sed ut maxime ordinis expertia et casibus obnoxia. Comtio objicit[2] quod, cum et legem instituit universalem et præfinit ordinem quem omnium cognitionum cursus servare debeat, Fortunæ ille quasi oblitus esse videatur, qua cursus deflectatur omnium rerum humanarum.

1. *Fondem. de nos conn.*, II, chap. 22.

2. *Marche des Idées*, I, p. 31. « Lorsqu'on considère l'histoire de la civilisation du moyen âge, ou même, dans son ensemble, l'histoire de la civilisation de l'Occident, on voit combien il faut rabattre de certaines théories sur un ordre prétendu fatal, qui règlerait l'apparition successive des doctrines religieuses, philosophiques, scientifiques. » Cf. *Ibid.*, II, p. 223.

Quæ adeo inconstantes et, ut ita dicam, fluxæ ac lubricæ videntur ut, primo saltem aspectu. nihil putes inanius quam leges nescio quas historicas inquirere. Num quid enim perpetuum societates hominum observanti præbent? Non permanent illæ, sed transeunt. Earum quæ eodem tempore simul perdurant locorum diversitate penitus distinguuntur : quæ autem eodem loco diversis temporibus vitam exigunt non ideo exstant similes[1] : imo novissimæ societates et a prioribus quasi instructæ, veluti nostræ societates ab antiquis, idcirco ab iis distant[2]. Ita ut in hac et illa perarduum sit eadem elementa, eadem ratione ordinata, discernere. Unius autem societatis vitam si intuearis in se, casus crebros e quibus illa quasi effluit, frustra conere neglegere et, ut ita dicam, ab historia amovere. Casu enim quæ olim instituta sunt, ut urbs ista, accidit ut non transeant sicut nubes, sed in sæcula serventur[3]. Casu qui nascuntur[4] magni viri in populorum animis suam infigunt effigiem. Casu qui occurrunt magni, vel etiam parvi eventus instituta inficiunt. Hanc cujusque societatis propriam speciem tot casibus comparatam non decet

1. *Fondem. de nos conn.*, II, p. 210-213. — *Enchaîn. des Idées*, II, p. 323.

2. *Marche des Idées et des Évén.*, I, chap. 2, p. 34. « Le moyen âge est un enfant élevé par un vieillard, et dont les destinées, celles mêmes de sa postérité, se ressentent de cette éducation première. »

3. *Enchaîn. des Idées*, II, p. 339.

4. *Ibid.*, p. 285.

obliterare; non, ut scientia, de singularibus ac peculiaribus rebus nostrum intellectum abstrahere potest historia [1]: quippe cujus materia potius e rebus peculiaribus et singularibus constet.

Quid igitur restat historiarum scriptori nisi ut eventa, sicut evenerunt, sine ullo nexu, consignet ac enumeret? Annales conficere omnis tenoris expertes, hoc est igitur. Cournoti sententia, historicum officium et munus!

Minime. Annales isto modo confectos indignos habet Noster quibus nomen non scientiæ hercle, at certe historiæ attribuatur. Rerum plane interruptarum, — sicuti tesserarum jactuum, — non est historia. Cui potius sejunctarum et connexarum rerum quædam mixtura, — veluti in latrunculorum ludo, — propriam præstat materiam [2]. Quod si mera deductio, qua notiones necessario, et sine ulla prætermissione, concatenentur, historiam excedit, non e mera tamen narratione, qua facta temere, et sine ullo ordine, percenseantur, constat historia [3]. Historici est eventa ipsa quodam

1. *Ench. des Idées*, p. 322. « L'individualité, le fait particulier, avec ce qu'il a de privativement caractéristique est (ici) ce qui fixe et doit fixer notre attention. Donc nous ne sommes plus dans les conditions ordinaires de la science, qui en général fait et doit faire abstraction des individus ; donc nous nous trouvons en pleine histoire, en face de toutes les singularités de la destinée. »

2. *Marche des Idées*, I, p. 7. — *Matérialisme*, p. 230

3. *Fondem. de nos conn.*, II, p. 201. « S'il n'y a pas d'histoire proprement dite là où tous les événements dérivent nécessairement et régulièrement les uns des autres, en vertu des lois constantes par lesquelles le

modo alligare, et ab iis, quæ in re separata remanent, connexa discernere. Quo fiet ut de medio rerum fluxarum, aliquid continuum et constans emineat : in ipsarum rerum decursu, dummodo satis longo, ab iis, quæ plane singularia evenerunt et sine effectibus notatu dignis transierunt, secernentur dominantia eventa [1]. Phænomenis omnino diversis et variis sese compensantibus et quasi invicem obliterantibus, historiæ est, perinde ac istius novissimæ disciplinæ quam statisticam nominamus, inter peculiaria communia deprehendere, constantia inter temere accidentia [2].

Contra eos qui, quod tot casus aut ex hominum voluntatibus aut ex rerum ipsarum concursionibus effluere intelligunt, negant sociologicam ullam cognitionem posse constitui, quomodo Noster hanc suam opinionem defendat, operæ pretium est breviter adumbrare.

Eam primum exsolvamus difficultatem quæ e libertate humana a priori ducitur. Quæ, ut aiunt, impedit

système est régi, et sans concours accidentel d'influences étrangères au système que la théorie embrasse, il n'y a pas non plus d'histoire, dans le vrai sens du mot, pour une suite d'événements qui seraient sans aucune liaison entre eux. » — Cf. *Marche des Idées*, II. p. 319. « Un certain mélange de lois nécessaires et de faits accidentels ou providentiels est ce qui motive l'emploi du mot d'*histoire*. »

1. *Fondem. de nos conn.*, II, p. 203.

2. *Enchaîn. des Idées*. II, p. 52, 347. L'histoire « opère comme la statistique, quoique d'une autre manière, l'élimination des effets accidentels ou variables, et la manifestation des causes générales. »

quominus acta cujusquam statistica vel historica prædictione determinentur : vis ea moralis, quæ cuique nostrum inest, talibus virium computationibus se haud patitur subjici.

Respondet Cournotus ejusmodi computatione, qua causarum peculiarium et normam transgredientium effectus quasi compensentur, naturam cujusque causæ nullo modo præjudicari[1] : quod si eorumdem eventorum certus redit numerus, non est cur credamus omnia mechanicis viribus proferri : moralibus quoque campus datur. Nihil ad rem pertinet si peculiares effectus, qui post satis longum tempus obliterantur, mechanico aliquo casu aut humana voluntate editi fuerint. Voluntatum quoque humanarum effectus enormes sese exæquant. Quæ exæquatio facilius in rebus socialibus quam in naturalibus absolvitur. Nusquam enim difficilius est normalem effectum dispicere quam ubi phænomenum aliquod, effectus enormis capax, cetera secum trahere possit ; si vero homines adeo liberi sunt ut unius arbitrium enorme ceteros ducere nequeat, eo facilius enormium arbitriorum effectus, diversi et separati, inter se obliterabunt ita ut communia et constantia pateant manifestiora[2]. Non est igitur cur scientiæ his-

1. *Marche des Idées*, I, p. 13. « La théorie du concours des forces est une théorie logique et abstraite, indépendante de la nature concrète de chaque force en particulier ». Cf. *Matérialisme*, p. 247.

2. *Fondem. de nos conn.*, II, p. 247. « C'est principalement dans

toricæ studiis dictamina conscientiæ diutius a priori opponamus ; graviora impedimenta superanda sunt.

Si enim non concedimus cujusquam libero arbitrio historicos processus deflecti, nonne defluere eos e virorum illustrium ingenio experientia testis est? Quorum virorum ortum minime prævideri, et tamen maximi momenti esse fatendum est. Ex illorum « heroum » facultatibus, a quibus scientiæ augentur, religiones vertuntur, bella geruntur, civitates reguntur, pendent omnino quæcumque vulgus cogitat, quæcumque cupit, quæcumque agit. Satis est, ex. gr. Newton, Colomb, Luther, Richelieu, Napoleon nominare : illi nonne quasi cometæ elucent, quorum inexspectato occursu historica systemata tota facie perturbata et novis legibus subjecta esse videantur?

Cournoti quidem sententia, nemo est quin a societate aliqua munitus sit et ad vitam paratus. Homo in se et per se solus subsistens, nihil aliud est quam mera fictio[2].

les choses qui dépendent plus du libre arbitre de l'homme que, chaque cas individuel étant plus indépendant de ceux qui l'avoisinent, il y a moins de ces influences irrégulières qui pourraient (comme dans les phénomènes météorologiques cités en exemple) affecter toute une série d'observations particulières pour faire place ensuite à des influences contraires ; et par conséquent c'est là que doit s'opérer le plus promptement la compensation de toutes les influences passagères et anormales. » Cf. *Ench. des Idées*, II, p. 347.

2. *Matérialisme*, p. 190-194. — *Enchaînement des Idées*, I, p. IV. « L'homme, tel que les philosophes le conçoivent, est le produit de la culture sociale. »

Ab hominum cœtu accipit quisque non modo corporis, sed etiam et intellectus cibum. Quod tanti pretii Noster esse existimat ut inde, quam postea plerique qui de rebus tractaverunt politicis desideraverunt, methodi conversionem ducat. Jure præmonet Plato ut rempublicam primum cognoscamus si hominem velimus cognoscere. Qui idearum nostrarum veras causas detegere velit, societates primum, non, ut Comtius censet, singulos homines cognoscere debet [1]. Inter meum cerebrum et opiniones meas societatem quasi « mediatricem » interesse videmus [2], cujus cura naturales meæ facultates et sollertiores fiunt et locupletiores. Ex his quæ in institutis monumentis librisque ab hominum conjunctione mihi comparata sunt, facilius quid sentiam colligi potest quam ex his quæ in corporis mei structuram natura insculpsit. Quod de viris quoque magnis valet : quorum neminem nisi juvantibus temporibus talem fuisse credendum est. Newtonis ingenium minus a cerebri structura pendet, casu constituta, quam a spiritu quo Anglorum Universitates, septimodecimo quidem sæculo, animabantur. Non aliter Bossuetius

1. *Matérialisme*, p. 192. « La psychologie supérieure de l'homme comprise par Comte dans l'assise biologique suppose la sociologie. »

2. *Enchaîn. des Idées*, II, p. 2. « Pour l'homme, par une exception toute singulière, un moyen terme, un véritable *médiateur* est venu s'interposer entre l'organisme individuel et les facultés individuelles. Ce moyen terme, ce médiateur n'est autre que le *milieu social*, où circule cette vie commune qui anime les races et les peuples. »

jure filius potius quam pater Ecclesiæ dici potest[1]. Sic, quæ naturalem scientiam effugit, rationem, qua heroum facultates constituantur, non dubitare videtur Cournotus quin scientia societatum, melius munita, aliqua ex parte detegat.

Quod si facultates illas naturæ aliquo casu dari putamus, societatis saltem adminiculo easdem concedamus egere, ut ad frugem certam solidamque perveniant. Nisi in apto solo quæ seruntur crescere nequeunt : nullum populum magnus vir movet, nisi per se jam motum. Ut quæ invenit ille vere fructifera constare possint, oportet plerorumque et necessitatibus ea subveniant et facultatibus conveniant[2]. Memento magneticam pyxidem et artem typographicam Cælestis Imperii priusquam Europæ incolis fuisse familiares ; e quibus hos tot mirabilia ducere vides, illos pæne nihil[3]. Ea, quæ inventa sunt, temporum convenientia potius quam rerum ipsarum proprietate maxime valent. Victoriæ, quam Lutherus reportavit, rationem quamdam reddas, si modo animorum tumultus respexeris quibus, quintodecimo sæculo, Ecclesia labefacta est in Ger-

1. *Matérialisme*, p. 190. — Cf. *Marche des Idées*, I, p. 289.

2. *Marche des Idées*, II, p. 108. En note : « En tout genre le besoin plus grand qu'on a actuellement d'un grand homme favorise, sinon la production du germe avec ses qualités natives, du moins son développement, et par conséquent le phénomène historique de l'apparition d'un grand homme. »

mania : turbam ipsam intelligas nihil prorsus exspectare nisi nutum alicujus reformatoris[1]. Item, num quemquam putassive, Mirabeau, sive alio nomine appelletur, tantum fuisse virum ut gallicæ plebis impetum, sub finem superioris sæculi, sustinere et arcere potuerit[2]? Quasi naturales sunt tanti impetus, quibus qui non ducitur statim affligitur : si contra virorum egregiorum impetus animi cum adflatu temporum quasi conspirat, tum magna illa exstant sæcula quæ, veluti quartidecimi Ludovici sæculum, admirationem jure movent[3] : quippe quorum historia non sine casu, nec tamen sine ulla ratione explicanda sit.

Gradus autem plures sunt fortunæ : locus hinc latior, illinc arctior magnorum virorum intercessioni patet : qui sine negocio rerum vim deflectere nunc quasi extremo digito, nunc ne summo quidem nisu ulla ratione posse videntur. Velut etiamsi Ludovici quintidecimi in Gallia aut Caroli primi in Britannia melior fuisset indoles, nihilominus eorum stirps et domus fato delenda

1. *Marche des Idées*, I, p. 183. « Dans les temps de crise... la foule n'attend que le signal d'un homme supérieur, qui lui-même n'échappe pas à l'entraînement général. »

2. *Ibid.*, II, p. 387 sqq. « Le caractère dominant de notre grande crise révolutionnaire... c'est d'être un entraînement général, irrésistible, un de ces phénomènes du monde moral sur lesquels les forces individuelles n'ont pas plus de prise qu'elles n'en peuvent avoir sur les imposants phénomènes du monde physique et sur le tumulte des éléments. »

3. *Ibid.*, I, 263.

fuit [1]. Nemo dubitat quin Richelieu inter potentissimos rerum dominatores sit adnumerandus ; nemo tamen quin Gallia tota, etiam deficiente illius ope, regiæ administrationi magis magisque esset subordinata [2]. Contra, quae e Corsici Cæsaris imperio acceperunt et Gallicæ et Europææ res ea difficile fuit prænuntiare. Etiamsi in summa, quod ad exteras nostras res attinet bella europæa conjectare licuit, atque, domi, dictatorium quoddam imperium, nemo est qui non miretur fortuitum casum quo, ad illud imperium regendum et ad illa bella gerenda, inventus est vir tanti ingenii [3]. In magnis igitur eventis interpretandis, causarum duo discernenda sunt genera : constantium et inconstantium. Constantium, quæ in populorum normali more, vel prius data inclinatione versantur, effectus jure prævidere queas ; inconstantium vero, quæ heroum ingenio et vita continentur, effectus compertos tantum mirari licet. Qua ratione haec duo causarum genera inter se misceantur, frustra, — quod tot conati sunt qui Cournoto successerunt nec ejus admonitionibus aures præbuerunt, — in universum statuere tentabis. Quod cum et populorum et præcellentium virorum peculiari vi

1. *Ibid.*, I, p. 12.
2. *Ibid.*, I, p. 410.
3. *Ibid.*, II, p. 392 sqq. « Qu'un génie prodigieux se soit trouvé tout exprès pour remplir le rôle de dictateur militaire avec un éclat, une grandeur, une audace, un succès théâtral qui semblent appartenir à un autre âge du monde, c'est là un hasard vraiment merveilleux. »

pendeat, non a priori enuntiandum est, sed a posteriori, prout postulant momenta, comprobandum : ita ut, in quoque eventu quid Fortunæ adscribendum sit, quid non, historiarum scriptor, accurata rerum observatione, metiri debeat.

Quæ cum ita sint, quid Noster de istorum sententia cogitet, qui e minimarum rerum occursu fata generis humani pendere censent, facile deprehendas. Quod in lumbis dictatoris cujusdam arenula sedit, quod ducis intestinum, prælio incipiente, doluit, hoc fuit cur regiæ domus aut instaurarentur aut penitus affligerentur, populi autem ad manus venirent, gentium denique pax et ordo in sæcula perturbaretur! Tam exiguas causas Cournotus indignas putat quæ ab historico exquirantur[1]. Non negat quidem quo tempore gravissimæ incipiunt rerum commutationes, minora talia sese oculis offerre ita ut ea, qui spectant, orbis terrarum totius motum ciere censeant. Sed alius spectatorum, alius historici debet esse animus : huic sedulo secernenda sunt ea, quæ vim in se continent qua effectus gignantur, ab iis quæ viam tantum præbent qua ad effectus possit perveniri. « Quos vult perdere Jupiter demen-

1. *Marche des Idées*, I, p. 10. « Qu'un général d'armée ait faibli un jour de bataille par suite de quelque indisposition... qu'une importante résolution de cabinet ait été prise à la suite de quelque intrigue de boudoir, ce sont là des causes dont se montre friand le chercheur d'anecdotes.... mais qui sont peu dignes de l'étiologie historique. »

tat » : horum autem exitium non ex ipsorum dementia sed e Jovis voluntate fluit. Cum Cournotus libro, quo de idearum et eventorum cursu qui nostris temporibus fuit agit, Virgilianum inscribit dictum « Fata viam inveniunt », simul minores quos diximus casus obvenire fatetur ac præmonet ne obliviscamur eosdem fato cuidem subjecta remanere [1] : hic quoque, quid Rationi incumbat, quid Fortunæ, pro locis ac temporibus interest metiri.

Nunc enim tam certum videtur curriculum vitæ gentium ut nihil fata avertere possit ; nunc autem tam incertum ut vel a minimis casibus idem possit deflecti. Nam Byzantino imperio dux quilibet felix finem facere potuit. At hunc quoque finem memento ex imbecillitate, jam diu explorata, senescentis imperii potius quam ex inexspectato casu trahendum esse [2]. Causis constantibus metiri et computare oportet quid inconstantibus quasi vacuum relinquatur. Quod si conjuratio quædam prosperum habuit exitum, hoc non solum extemporali audaciæ conjuratorum imputare oportet, sed etiam et præsertim rerum publicarum jamdudum probatæ infirmitati [3]. Quod si provincia quædam, postquam, vario

1. *Ibid.*, II, p. 240. « Quand le cours régulier des événements a réuni toutes les circonstances requises pour la maturité d'une grande crise, il semble que le Destin se plaise à s'aider encore du concours de quelque cause accidentelle. »

2. *Ibid.*, I, p. 120.

3. *Matérialisme*, p. 304 : « Le succès d'une conspiration décidera

Marte, a pugnantibus populis, vicissim occupata et amissa est, uni populo tandem adsit, haud dubium quin non e Martis sortibus tantum, sed e constanti quodam momento conjunctio illa pependerit[1]. Inter fortuita igitur nihil obstat quin aliquid emineat necessarii.

Quod ne putes de minimis tantum valere : illa quoque graviora quibus non principes tantum sed universi populi, non pauci sed plerique subito ictu una commoventur, fato cuidam subjicere fas est. Magni interest nos, politicorum virorum clamore ac strepitu captis auribus, non oblivisci ima societatum. Errat si quis, quæcumque notatu digna et in Gallia et in ceteris gentibus nostro quidem sæculo evenerint, ea ex ingenti commutatione, qua Gallia sub finem superioris sæculi quassata est, omnia orta esse putat. Quæ conflagratio etiamsi non erupisset, quot et rerum et idearum mutationes necessariæ mansissent et ad lucem evasissent ! Nonne in œconomicis rebus vidimus et perfecta mechanica opera, et vias multiplicatas, et auri auctam copiam, quæ omnia hominum commercio novam quasi effigiem infixerunt[2] ? Quod vero ad libertatem attinet, nonne putas, etiam absque « Conventus » illius ope, futurum fuisse ut

d'une révolution dont il faut chercher la *raison* dans la caducité des vieilles institutions... »

1. *Fondem. de nos conn.*, I, p. 34.

2. *Marche des Idées*. II, p. 246 sqq.

servitus indigna hominibus pronuntiaretur nec diutius jura civilia secundum religionem civium partirentur? De ejus societatis fine, quæ feudalis nominatur, vel de religionis christianæ reformatione similia dicamus[1]. Sedulo secernere oportet ab iis, quæ per accidens, ea quæ secundum legem sæculorum evenerunt[2], ut ab æquoris vorticibus fluminis tenorem.

Quibus nihil antiquius fuit quam principum præclarorum gesta consignare, historici non nisi nimiis casibus fractos et quasi dissolutos annales tradiderunt; propterea quod tot et tam diversorum momentorum obliti sunt, quæ, quanquam minus illustria, plurimum tamen valent ad fata populorum præfinienda. Eodem pœne lapsu peccant qui, quanquam populorum ipsorum vitam redivivam facere conantur, eorum discrimina tantum digna æstimant quæ narrentur. Dummodo autem illa detexeris quæ in intimis societatibus versantur : quo more et habitu homines communem vitam tolerent; quibus organis divitias gignant et qua lege inter se dispertiant; quo animo litteras excolant, scientias promoveant, philosophiæ dent operam; dubium non est quin tibi fontes aperiantur e quibus non illæ quidem minimæ, secundariæ et vere fortuitæ, sed

1. *Marche des Idées*, I, 96 ; II, 317.

2. *Ibid.*, II. Il faut distinguer « la loi du siècle » d'avec l'accident révolutionnaire. »

majores, constantes, atque, ut diximus, primariæ emanent rerum inclinationes[1].

Quid! Estne historici, dum tali methodo utitur, æternam rerum humanarum naturam adipisci atque, e societatum perennibus proprietatibus secundum leges ineluctabiles ea trahere quæ varia in dies transeunt? Non tanta Noster quidem præsumit. Rerum præcipuas inclinationes, quas historico patefaciendas ostendit, non a legibus universalibus procedere censet, sed a factorum quorumdam vere eminentium singulari concursu. Hisce oblatis, multos eventus interpretari licebit: sed eadem fatemur « oblata », non interpretata sese præbere. Verbi gratia, quamobrem Europæorum artes ceterarum gentium artibus longe præstent non potest intelligi nisi rerum fortuita congruentia qua in Europa, id est in terris maxime cultui accommodatis, hominum genera consederunt, Semitum et Arianorum, ad cultum maxime apta[2]. Item, non ita emendati et perfecti mores nostri fuissent, nisi inter christianam doctrinam et Europæarum gentium indolem quædam interfuisset cognatio. Cujus cognationis et congruentiæ ut ratio reddatur adeo fieri non posse Cournotus putat ut eas miraculo cuidam potius quam necessitati assignare velit[3]. Hæc sunt Providentiæ latentis, potius quam patentis Ratio-

1. *Marche des Idées*, I, chap. 1 ; II, chap. 5.
2. *Ibid.*, II, p. 366-369.
3. *Ibid.*, II, p 414.

nis opera. Fatendum est maximo casu factum esse ut eruperint ei fontes, e quibus tot varia necessario emanatura essent.

Sic eventa minora non statim e legibus constantibus, sed e majoribus eventis Cournotus ducenda esse existimat. Qui postquam, quod ad κόσμον totum attinet, Fortunæ jura quasi instauravit, eamdem ex historia hominum pellere non habet in animo; cum autem gradus et implicationes casuum discernat, eventa ipsa connectenda et alia aliis submittenda esse censet, ita ut, in rebus humanis, quanquam maxime fortuitis, nescio quid ordinatum et rationale tamen ex obliquo elucere possit.

Ex hac doctrina quid historicis proficiendum sit per se jam patet. Multi sunt enim qui, postquam rerum conjunctiones commemoraverunt e fortuito casu natas, hoc jam inutile vel potius periculosum habeant, aliquid in historia exquirere rationi conveniens. Ad eventa detegenda multam quidem necnon laudandam impendunt curam ; ad ordinanda autem et connectenda, pœne nullam : quippe quibus nihil inanius esse videatur quam in historica materia philosophari atque, in locum factorum, systemata subdere.

Quibus respondet Noster a casuum indagatione ordinis ædificationem non esse omnino secludendam. Licet idearum systemata suspecta habeas : tibi tamen

res ipsæ secundum series ordinandæ sunt, quarum aliæ sejunctæ, aliæ vero alligatæ et implicatæ videntur. Licet a « teleologia » abstineas : « etiologia » quædam colenda superest[1]. Finis rerum humanarum etiamsi te fugiat, earum causas comperire licet. Quas si non e legibus æternis queas ducere, restat ut in mediis factis reperias, quorum alia minora et quasi obedientia, alia majora et quasi imperantia videantur.

1. *Marche des Idées*, I, p. 15 : « Quant aux idées qu'il nous plaît de nous faire des destinées du genre humain, du but final de la civilisation, toutes ces idées appartiennent bien si l'on veut à la philosophie de l'histoire, mais à une philosophie transcendante, ambitieuse, hypothétique, qui n'est point la critique dont nous entendons parler. » Cf. *ibid.*, p. III. « Qu'il y ait ou qu'il n'y ait pas des lois dans l'histoire, il suffit qu'il y ait des faits et que ces faits soient tantôt subordonnés les uns aux autres, tantôt indépendants les uns des autres pour qu'il y ait lieu à une critique dont le but est de démêler, ici la subordination, là l'indépendance. »

III

DE LEGIBUS EMPIRICIS

Dogmatibus, e quibus philosophi historiam deducere conati essent, quantulum faveret Cournotus jam sumus experti ; quos omnes Icari fati participes esse putat. Res humanas in orbem circumferri Vico arbitratus est, Hegel autem recta linea progredi : Nostri judicio erraverunt ambo, quippe qui obliti essent res humanas implicatas esse neque earum cursum lineis posse præscribi[1]. Historiam nec geometrico nec teleologico more tractandam esse Cournotus commonuit, et leges illas, quæ tot philosophos alliciunt, valde suspectas habuit[2].

Leges tamen quibus rerum humanarum connexio vel consecutio describeretur non dubitavit enuntiare, has autem ita et inter se et cum reliquis ejus opinioni-

1. *Matérialisme*, p. 235 : « A proprement parler, il n'y a pas (dans l'histoire de l'humanité) de mouvement général résultant de la composition des mouvements partiels ; les composantes prétendues sont trop hétérogènes pour comporter une résultante, et la géométrie n'est pas de mise ici. »

2. *Marche des Idées*, I, Préf.

bus cohærentes ut in summam quamdam congrederentur ac confluerent, priorum necnon posteriorum philosophorum operibus hercle haud imparem.

*
* *

Quamvis principio mathematicis studuerit scientiis, Cournotum meminimus ab illis scientiis quas naturales appellamus plurima sumpsisse. Quarum incremento philosophiam ex imo renovatam esse putat[1]. Facilius quidem intellectualia aut mechanica quam vitalia concipimus, et sterilitate affligitur si quis in his clarioribus tantum versari velit[2]. Idcirco Cournotus censet de Cartesiana disciplina non multum jam esse hauriendum[3]. Collige vero, a Germanicorum scriptorum opinionibus qui, ut Schelling aut Hegel, amplissima systemata exstruxerunt, vel a Gallicorum, qui, ut De Maistre aut De Bonald, superioris sæculi rationalia præjudicia labefecerunt, quæ confluant residua[4] : hæc ad eam disci-

1. *Marche des Idées*, II, p. 160, 190. « Le vitalisme contient le vrai principe rénovateur de la philosophie du XIXe siècle. »

2. *Ench. des Idées*, II, p. 192. « Les philosophes veulent faire de l'homme ce qu'il n'est pas, ce que l'histoire nous montre qu'il n'a jamais été, tantôt une pure intelligence, tantôt une brute ou une machine ; et la raison de cette méprise, c'est qu'il est plus facile de se rendre compte, par la constitution de notre entendement, des lois d'une intelligence pure ou de celles d'une machine, que des lois qui règlent le développement de la vie dans un être vivant et animé. »

3. *Marche des Idées*, II, p. 220.

4. *Ibid.*, II, p. 213, 216.

plinam pergunt. cui « naturalismi » vel « vitalismi » nomen adhibere fas est : qua duce. res humanas naturalibus assimilare et quasi alligare conabimur. ita ut iisdem legibus hæ et illæ videantur subjici.

Vivorum autem corporum. seu animantium. seu virentium, quæ sunt peculiaria? Primum partes eorum non appositæ tantum sed conjunctæ et cognatæ. harmonica ratione, ut ait Plinius. ad mansurum coguntur consensum[1]. Qui ab exteris momentis excitari quidem et ad actionem vocari, non omnino procreari potest[2]. Frustra Darwin sollertissime modos agendi detexit, quibus putat mechanicas vires. inter se certantes. ad stabilia temperamenta per accidens pervenisse feliciter. Quæ thesis Nostro, tametsi casibus latissimum ipse dedit campum, nimis graves et crebros casus supponere videtur[3]. Non Fortuna apta est ad tantam rerum convenientiam, qua diversa tam intime cohæreant. instituendam et servandam. Adde quod corporum sic constitutorum mutationes non omnino ex exteris locorum aut temporum mutationibus pendent. Vivorum est natura crescere et decrescere, adolescere et senes-

1. *Ench. des Idées*, I, liv. III, chap. 3.

2. *Ibid.*, I, 382. « L'influence extérieure n'est que l'occasion, la condition du développement d'une force dont le principe est intérieur. »

3. *Matérialisme*, p. 179. Il y a « des harmonies typiques dont il n'est pas possible de rendre raison par l'épuisement des combinaisons fortuites, ni par un triage automatique, si lent et si prolongé qu'on le suppose. » Cf. *Ench. des Idées*, I, 354, 456.

cere; sic eorum vitæ ætates distinguuntur, quarum explicatio per se fit, non per accidens[1]. Animantium tam naturalis exitii quam initii rationem haurire non licet e rerum inanimatarum concursu. Non fortuitorum mechanica congregatione vivorum proprietates conjunguntur, vel ætates exsequuntur.

Quid restat, nisi ut vim quamdam peculiarem hoc efficere putemus[2]? Ea est, ad animantia aut virentia non servanda tantum, sed secundum certa exemplaria constituenda idonea. Quo pergat mundus totus, hoc mortales fugit; non vero quid cuique corporum generi sit propositum. Hæc enim vis, quæ iis inest eaque animat, quasi quædam archetypa sibi proposita habet: quæ ut imitetur exteris viribus sæpius resistit, nedum inserviat iisdem[3]. Ea autem ut sponte laborat ita sponte defatigatur. Vitalium defectio, haud minus quam eorum confectio legibus propriis, non casui cuilibet subjecta esse videtur.

1. *Matérialisme*, p. 187. « Les choses soumises au régime de la vie ont pour caractère essentiel de passer par des périodes d'accroissement et de déclin. »

2. *Ench. des Idées*, I, p. 321. Pour expliquer « une telle évolution, une telle coordination aussi bien dans le temps que dans l'espace,... il faut concevoir une vertu plastique, une énergie vitale qui préside à la formation même de l'organisme. »

3. *Marche des Idées*, II, p. 156. « Chez les êtres vivants, l'énergie vitale est un principe interne d'unité, d'ordre, d'harmonie, sans cesse en lutte avec les causes externes de complications, de perturbations et de désordre. » Cf. *Ench. des Idées*, I, p. 322 sqq.

Societates vero nunc respiciamus : animo complectamur qua ratione constituantur populi, gentes, nationes; quam diversis necnon convenientibus actionibus amplorum illorum corporum vita sustentetur; qua cohærentia, eorum particulis sine intermissione prætereuntibus, eadem tamen permaneant ac perdurent: qua lege autem, postquam adoleverunt, necessario senescant, haud dubium quin fateamur, in summa, ad animantium instar societates vivere. Frustra Millius infitiatur « corporum politicorum, ut naturalium, esse nescio quam juventutem, maturitatem, senectutem atque mortem ». Invitus ipse testatur societatum ætates esse discernendas, necnon vim quamdam, qua consociata elementa cohæreant, esse supponendam[1].

Quod quidem ex partium clarius etiam quam ex complexus observatione patebit. Verbi gratia, si sermonem quo consociati homines utuntur dispexeris, is tibi vitali quodam flatu quasi animatus esse videbitur. Cujus elementa harmonica quadam ratione sese ostendunt esse cognata : et eliguntur et concatenantur secundum ordinem quemdam cui loquentes, etiamsi ejus haud conscii, omnes obsequuntur[2]. Interior igitur et absconditus est labor quo verborum structura constituitur: et ejusdem momenta ita definiuntur ut non

1. *Syst. de Logique*, trad. fr., II, p. 370, 510, 524. — Cit. in *Matérial.*, p. 190.
2. *Ench. des Idées*, II, chap. 3. — Cf. *Matérial.*, p. 195-204.

æque omni tempore crescant linguæ et floreant. Quarum quasdam ad eam ætatem pervenire videmus in qua rigidæ remaneant, perinde ac cadavera; quo iterum comprobatur eas vitalium fati esse participes, nec non grammaticos a naturalibus scientiis multa mutuari posse[1]. — De jurum constitutione ac mutatione eadem pœne Cournotus affirmat[2] : eadem de religionum aut morum[3]. Non is est enim Cournotus qui, — nostrorum philosophorum more qui decimo octavo sæculo floruerunt — hæc omnia ex hujus aut illius hominis intenta voluntate pendere arbitretur; laboribus innisus quibus historici, ut Savigny[4], Renan[5], Max Müller[6], initia rerum humanarum detexerunt, pluris facit causas « ab humano arbitrio alienas[7] ». Ut linguam sine grammaticis, ita jura censet absque jurisconsultorum, religiones autem absque sacerdotum ope procreari. Ex inscia mente populorum talia prius exeunt, atque paulatim augentur, ut omnia quæ vivis adnumerari decet.

Cui opinioni quantum faverint qui post Nostrum de rebus sociologicis disseruerunt, nemo est quin expertus

1. *Marche des Idées et des Év.*, I, p. 57.
2. *Ench. des Idées*, II, p. 180-183.
3. *Ibid.*, II, p. 141, 146. Cf. *Matérial.*, p. 204.
4. Cit. in *Ench. des Idées*, II, p. 439.
5. Cit. *Ibid.*, II, p. 57.
6. Cit. *Ibid.*, II, p. 81.
7. *Matérial.*, p. 221.

sit. Qui non, ut videtur, Cournoti, sed ea, quam Cournotus animadvertit, naturalium scientiarum auctoritate propulsi, populorum et animantium affinitates et strictiores et frequentiores illustraverunt [1]. Quin etiam, hac analogiarum indagatione captos et raptos, in transferendis verbis potius quam in rebus explanandis plerosque eorum tantam operam consumpsisse atque, in vitalium cogitatione defixos, quæ societatibus peculiaria sint oblitos videri nemo est qui ignoret, nos vero tædet litem toties oratam iterum suscipere [2]. Libet potius notare quantum ab ista intemperie Nostri opiniones abhorreant : ita ut ex ejus operibus æquales nostri si modo accuratius ea perlegissent, vitiorum nonnullorum quasi antidota sumere potuerint.

Hoc primum animadvertendum est, Cournoto non omnia in societatibus eodem modo aut eodem gradu vivere. Quod sæpe iis objectum est qui cœtus hominum cum animantium corporibus conferunt, phænomenorum politicorum vel œconomicorum, vel eorum quæ ad cultum aut ad scientiam attinent series non pari passu progredi, latescere, crescere, decrescere, hoc Noster

1. Satis est in memoriam revocare :
SPENCER. *Principes de sociologie.*
SCHÄFFLE. *Bau und Leben des Socialen Körpers.*
LILIENFELD. *La Pathologie sociale.*
WORMS. *Organisme et société.*
NOVICOW. *Conscience et volonté sociales.*

2. Utriusque partis argumenta collecta sunt in *Annales de l'Institut international de sociologie*, 1898, t. IV.



ipse professus est[1], atque ita præmonuit ne societatum structuram tam firmam atque ut ita dicam rigidam fingeremus quam corporum. Item non is est Cournotus qui res, quibus consociati homines utuntur, vitalibus nescio quibus attributis adornet, nec fila, quibus humana verba longe statim transmittuntur, nervis æquiparet : imo, « urbem », rebus compositam, non æque vivere commonet ac « civitatem », hominibus compositam[2], nec semel animadvertit ea quæ « vitali principio » proferuntur ab iis quæ « vitale principium » in se continent, diligenter esse secernenda[3].

Quod principium ne credas a Nostro in substantia quadam seponi : qui substantias usquequaque suspectas habuit, eas in societatum scientiam redintegrare nolit[4]. Quapropter de ea quam socialem appellant conscientiam, ab hominum singulorum conscientiis quasi separatam, non locutus est Cournotus. Imo, agnovit societates non per se sentire, sed eas, quibus informentur populi, notiones aut in magnorum virorum ingenio aut in publicis institutis habitare. Populo, in se complexo, cerebrum unicum deest[5] : quamobrem si, populorum

1. *Matérialisme*, p. 191.

2. *Ibid.* « L'histoire d'une ville, en tant que ville, diffère de celle de la cité. »

3. *Ibid.*, p. 198. « Il faut distinguer entre ce qui vit et ce qui est le produit de la vie. »

4. *Matérialisme*, p. 106. — *Ench. des Idées*, I, p. 480. — *Marche des Idées et des Év.*, II, p. 198.

5. *Ench. des Idées*, I. « Si la vie se fait sentir dans un produit de

corpora cum animantium corporibus contuleris, inferiora illa et polypis potius quam hominibus similia esse fatendum est[1]. Non ita naturalibus scientiis historicus uti debet ut societatem quasi Ens exstruat extra homines in se constans : ab iis discendum est non ubi sedeat societatis substantia, sed quo modo procedant et inter se conveniant quæ ex hominum conjunctione oriantur phænomena.

Quem modum ipsum non adeo reconditum obscurumque Cournotus esse constituit. Quod vita efficitur, hoc quidem perobscuris actionibus effici sæpe demonstravit, et ideo civitates cum gignentibus contulit quod, quæ in iis evenire solent, hæc plerumque non ex hominum voluntate sui conscia emanare, neque ab humano intellectu penitus explanari posse viderentur. Ne tamen credas, quod ad societates attinet, hujus absconditi laboris intelligendi spem omnem a Nostro nobis esse diremptam. Qui cum intimum perspicit laborem, quo et linguæ et jura componantur, hunc ostendit ex hominum ignota solertia pendere, et præ-

l'activité des hommes réunis en sociétés nombreuses, c'est apparemment la vie que nous appelons organique ou végétative, la vie qui n'a pas conscience d'elle-même... »

1. *Matérialisme*, p. 189. — Cf. *Marche des Idées*, II, p. 400. La nature, « tout en accordant à l'être collectif la *puissance* de faire ce que l'individu ne ferait pas, par exemple à des agrégats de polypes la puissance de construire des îles et des continents, ne lui donne pourtant que des *facultés* d'ordre inférieur, si on les compare à celles de l'individu. »

sertim eo insito impetu quo inter se imitari[1] vel analogia uti ex natura conentur. Ita in rebus humanis eadem clariora se præbere profitetur quæ in vitalibus celata constiterunt[2]. Quod argumentum esse nonne illud agnoscis, quo plerique nunc, Tardio duce[3], utuntur ad eos refellendos qui scientias sociologicas in servitutem naturalium redigere velint? Tam prudenti enim et præmunito animo scientias naturales assecutus est Cournotus ut iidem, qui hodie earum obstant nimiis incursionibus, ab ejus doctrina firmissima argumenta mutuari queant.

Hoc quidem eo factum est quod ab istis scientiis Cournotus, ut ait ipse, ideas potius quam imagines sumere conatus est[4]. Non is est qui huic aut illi vivorum speciei societates per singula assimilare studeat. Leges potius communes describere cupit quibus et in animan-

1. *Ench. des Idées*, II, p. 57, 63, 77. Description des « phénomènes d'imitation ou d'entraînement » auxquels est due la vie des langues. — *Ibid.*, 179. « Les premiers développements du droit, comme ceux de la langue, procèdent de l'instinct d'imitation et du sentiment naturel de l'analogie. »

2. *Ibid.*, II, p. 334. « Non seulement l'observation constate cette loi générale (le cycle des civilisations) mais nous en comprenons la raison, encore mieux que nous ne comprenons pourquoi l'individualité vivante traverse des périodes analogues. »

3. V. *Logique sociale*, préface. — Cf. Dilthey. *Einleitung in die Geisteswissenschaften*, p. 45 sqq.

4. *Matérialisme*, p. 198. Il faut employer ces termes (vie du langage) « par abstraction plutôt que par métaphore ; c'est-à-dire en abandonnant ce qui parle à l'imagination pour ne retenir et n'employer dans la construction scientifique que la pure idée ».

tibus atomi et in societatibus homines consociati pariter inserviant. Cum res publicas, æconomicas vel politicas, administrare conamur, eodem modo progredimur quo natura ipsa in animantium corporibus constituendis : verbi gratia, actiones alias aliis societatis partibus adsignamus, atque eas partes medio cuidam imperio submittimus; quod dum efficimus num naturam imitamur? Haud magis hercle quam nos imitatur natura. Et naturæ et artis humanæ sunt quædam constantes conditiones, sine quibus neutra quicquam conjungere et componere queat[1]. Has conditiones, nulli populi, tametsi casibus quibuslibet seu ex rerum seu ex magnorum virorum vi fluentibus obnoxii, in summa effugere possunt : quod ut clarius animo comprehenderemus, ad hoc Cournotus, nec sine jure, « vitalismi » disciplinam putavit profecisse[2].

* * *

At quid diutius quærimus? Nonne Cournotus ipse

1. *Ench. des Idées*, I, p. 350. « La nature et l'homme se sont rencontrés, non que l'homme ait pris modèle sur la nature qu'il ne connaissait pas encore assez et encore moins la nature sur l'homme, mais parce qu'une nécessité rationnelle, fort supérieure à l'homme et qui commande même à la nature vivante le voulait ainsi. » — Cf. *Matérialisme*, p. 94.

2. De hoc pœne convenit inter eos qui hujus « vitalismi » colligunt mansuros effectus. V. ex. gr. : BARTH. *Philosophie der Geschichte als Sociologie*, I, ch. IV. — GOBLOT. *Essai sur la classification des sciences*, ch. XI. — SANTAMARIA DE PAREDES. *El concepto de organismo social*. — Cf. *Année sociologique*, I, 1898, p. 126-144.

efficacissime præcavit ne iis adnumeraretur qui vitalium studio præoccupati fuerunt et quasi obcæcati? Quippe qui societates « mechanicam » quamdam speciem frequenter præbere demonstraverit[1].

Nostra ætate, eodem tempore quo notatum est hominum cætus atque concilia quamdam animantium speciem præbere, nonne multos audivimus temporis acti laudatores, qui antiquarum gentium spiritum vitalem incertumque motum desiderarent, nec non ingemeiscerent quod in nostris omnia jam æquabili, certo et quasi mathematico progressu, sine ulla inexspectata varietate, secundum rationem et utilitatem agerentur? Quos communes locos Cournoti doctrina copiose illustrare licuit.

Etenim si modo, Cournoto duce, series respexeris, quibus constet complexus socialis, eas ad structuram pervenire agnosces, quæ vita penitus quasi exuta fuisse videatur. Verbi gratia, non omni tempore linguæ fruntur ea vi procreatrice qua elementa nova ex se gignant aut, ut aiunt, intussuscipiant[2]. Dies advenit post quam linguæ, extraneis auctæ, grammaticorum arte et cura

1. *Ench. des Idées*, II, p. 17. « Les sociétés humaines sont tout à la fois des *organismes* et des *mécanismes*. » — Cf. TARDE. *Logique sociale*, p. 151 : « A mesure que les sociétés se civilisent, il semble qu'elles vont se *désorganisant*. »

2. *Ibid.*, II, p. 68 : « A mesure que la fixité fait des progrès, la force plastique délaisse peu à peu la langue, et un organisme vivant tend à devenir un instrument. »

ita tractantur et quasi inhibentur, ut extendantur quam latissime, et serventur quam diutissime : quo fit ut pristinis illecebris spoliatæ, quas cuique populi cujusque inscia indoles ex natura olim adjungeret, rationi tantum vel potius utilitati satisfaciant[1]. De juris corporibus idem dicendum est : utpote quæ, postquam suum quæque gens sponte edidit, jurisconsultorum labore mox quasi dilatata, ipsius generis humani potius quam locorum ac temporum necessitatibus accommodentur, atque systematum rationalium imo commodissimorum digestorum formam induant[2]. Non aliter nummorum historiam complectenti planum est eos, olim ex arbitrio diversorum principum, quorum effigies ferebant, fabricatos et mutatos, nunc stabilem quemdam accepisse ponderis et formæ modum, rebus ipsis et communi utilitati consentaneum[3]. Eodem progressu gubernan-

1. *Ibid.*, II, p. 112-114. « Les langues fixées par l'écriture, par l'imprimerie, par la législation grammaticale, par les institutions pédagogiques et par toutes celles qui s'y rattachent deviennent les instruments d'une civilisation avancée et capable d'un progrès indéfini, sous la condition de poursuivre le vrai, l'utile plutôt que le beau. » Cf. *Matérialisme*, p. 202-204.

2. *Ibid.*, II, p. 182-185. Le droit « se dépouille de ce qu'il avait de plus original, mais aussi de ce qu'il avait de plus rigoureux ; il devient plus flexible et plus *humain*, c'est-à-dire qu'il s'accommode mieux aux principes de la raison universelle, et à ce qu'il y a de plus général dans les conditions de la nature humaine, abstraction faite des nécessités de certaines conjonctures et des habitudes locales. » Cf. *Matérialisme*, p. 212-215.

3. *Théorie des Richesses*, liv. II. — Cf. *Rev. des doctr. économ.*, p. 160. « La commodité d'un système uniforme l'emporte... Ces lois si apparentes dans l'histoire de la monnaie sont au fond les lois générales de l'histoire. »

darum civitatum diversi modi minoris paulatim momenti existunt[1]. In quibus item rationem magis magisque imperare Noster arbitratur, non hercle iisdem præjudiciis captus quibus philosophi octavo decimo sæculo populos inflaverunt[2] : rationis enim expers esse censet tam quod publico suffragio quam quod e principis arbitrio oritur[3]; fatetur tamen instituta publica, propterea quod communi utilitati nunc subjiciantur, casibus quæ ex affectibus fluant minus esse obnoxia[4]. Adeo ut, quæ olim inter viva et spirantia per se nata sunt, adoleverunt et senuerunt, ea jam, ut ita dicam, inhibita, mechanico quodam pulsu omnia videantur progredi.

Ea enim in societatibus majora atque majora fiunt, quæ mineralium potius quam animantium vel viventium more crescentia, sine intermissione atque, ut videtur, in infinitum augeri possunt[5] : scientiæ scilicet, et artes ex iisdem ortæ, quibus natura rerum ab hominibus et cognoscitur et informatur. Respice enim quæ

1. *Marche des Idées*, II, p. 87. « La part des influences morales et politiques ira en s'atténuant... de manière à dégager ce qui tient essentiellement à la structure et au mécanisme des sociétés. »

2. *Ibid.*, II, liv. IV, ch. 5.

3. *Matérialisme*, p. 224. « Le suffrage universel n'est pas plus rationnel que le droit héréditaire ».

4. *Marche des Idées*, II, p. 225 sqq.

5. *Ibid.*, II, p. 345. Parmi les éléments du développement historique de l'humanité, il y a lieu de distinguer de ceux « qui sont soumis à la loi de la croissance et du dépérissement successifs, ceux que tend à développer sans cesse une civilisation progressive. »

sit illarum ratio ac natura[1] : quod in iis casu, a viro magno, inventum est, hoc non irritum transit, nec, a vivo procreatum, vivorum instar moriturum videtur ; inventa adduntur et in uno coacervantur thesauro, qui a majoribus traditus posteris, in æternum augeri potest. Cujus quidem constitutio et traditio a politicis, religiosis, vel juridicis institutis et moribus primum pependit[2]; at mox fit ut scientia, e vitalibus vinculis quasi liberata, necessario progrediatur, ejusque inventa mores ipsos et instituta publica paulatim inficiant : ita ut in societatibus nostris pæne omnia scientiarum progressum sint insecutura.

Ex quo intelligere licet quid sit cultus generis humani. Quem oportet ab eo cultu discriminare qui, populo cuique proprius, ejus vitæ quasi alligatus, ejus mortis particeps esse videtur[3]. Quod si neglegas qua peculiari mente gentes diversæ easdem quæstiones aggressæ sint, aliqua ex harum operibus communia eminere intelligas. Hæc sunt quæ, populi cujusque fortunam quasi superantia, constantia tradi, vel potius constanter augeri possint : sunt enim ad perennitatem obtinendam eadem

1. *Ibid.*, II, 285-299. La science, l'industrie « sont essentiellement gouvernées par la loi du progrès indéfini ».

2. *Marche des Idées*, I, 23. 24.

3. *Matérialisme*, p. 234, 235. — Cf. *Ench. des Idées*, II, p. 329-331. « L'ère vraiment moderne date pour nous de l'époque où la civilisation générale, par la vigueur de son développement, tend à oblitérer les traits distintifs de chaque système national en particulier. »

ratione apta qua sunt ad communionem efficiendam idonea. Non satis est igitur vulgare dictum usurpare : « Humanitatis cultu mens materiam vincit ». Cournotianum dictum clariora profert : « Humanitatis cultu ea quæ in rebus rationalia et communia sunt illis præstant quæ ex animantium peculiari nec non fugaci vi exoriuntur[1] ».

Nil mirum igitur si societates, quo magis cultæ, eo sociologicis scientiis aptiorem præbent materiam. Quod Millius quoque, sed disparibus argumentis, tuitus est. Hic enim progredientium societatum cursum eo facilius præfiniri putat, quod in iis omnium, qui a majoribus traditi sunt, agendi vel cupiendi modorum numerus paulatim atque pondus crescat, ita ut posteris quasi impossibile sit rerum flumen ex arbitrio deflectere[2]. Cournotus autem hoc esse magis cultarum societatum proprium credit ut onere præteritorum aliqua parte paulatim leventur, nec quicquam aliud servent nisi quid sit utilitati conveniens : ita ut, quæ in talibus societatibus constituntur, ea non ex historia cujusque, sed e ratione ipsa videantur esse deducenda[3]. Quamo-

1. *Ench. des Idées*, II, p. 17. La civilisation progressive « n'est pas, comme on l'a dit si souvent, le triomphe de l'esprit sur la matière, mais bien plutôt le triomphe des principes rationnels et généraux des choses sur l'énergie et les qualités propres de l'organisme vivant ».

2. *Logique des sciences morales*, liv. VI (trad. Belot), p. 195. — Cf. COMTE, *Cours de philosophie positive*, t. IV, p. 345.

3. *Fondem. de nos conn.*, II, p. 179. « Plus les idées et les passions se généralisent, et plus l'influence des précédents historiques doit aller en s'affaiblissant ; plus la marche des événements doit se conformer à un certain ordre théorique. » Cf. *Ench. des Idées*, II, p. 225.

brem magis magisque ea obscurantur et obliterantur, quæ ex affectuum concursu trahuntur vel e magnorum virorum nutu[1]; peculiaria et fortuita exæquatione abolentur, vigent autem communia et constantia, quorum motus logice prævidere, geometrice exprimere, mathematice computare licet. Adeo ut illa scientia quam ut socialem « physicam » Comte instituit nullo modo prioribus, vita animatis societatibus, sed posterioribus, secundum rationem ordinatis, mire congruere videatur[2].

In hoc vero leges dispicere licet quibus non societatum tantum, sed etiam totius universi regitur decursus. Lege enim, quam Comte nullo modo conjecit, ea efficitur « recursio »[3] qua, postquam vitalia mechanicis successerunt, nova appareant phænomena quæ, secundum rationem absoluta, vitalibus clariora nec non constantiora, mechanica potius imitantur iisque videntur maxime cognata[4]. Lege haud minus universali effici-

1. *Ench. des Idées*, II, p. 32. « Le propre d'une civilisation progressive est... de faire de plus en plus prévaloir ce qu'il y a d'universel dans la nature humaine. » *Ibid.*, 342. « La société tend à s'arranger, comme la ruche des abeilles, d'après des conditions quasi géométriques. »

2. *Ibid.*, II, 239. Cf. I, 332. « Un surcroît de perfectionnement des sociétés humaines, spécialement désigné par le nom de *civilisation*, tend à y substituer le mécanisme calculé ou calculable à l'organisme vivant, la raison à l'instinct, la fixité des combinaisons arithmétiques et logiques au mouvement de la vie. »

3. *Matérialisme*, p. 193.

4. *Ench. des Idées*, II, 304 sqq. Cf. 344. « Nous sortons de la phase historique où les caprices du sort et les actes de vigueur personnelle et morale ont tant d'influence pour entrer dans celle où l'on balance et sup-

tur progressus quo ea, quæ diversa et fortuita rationi prius repugnaverunt, mutuis actionibus per sæcula exercitis, aut commoriuntur aut harmonico quodam ordine connexa commorantur. Quod in duobus molibus impariter libratis ab eodem baculo pendentibus accidit, ut ambæ paulatim eodem motu jactentur, hoc item fit in rebus omnibus; ita ut omnium, e quibus universum constat, tria sint momenta: quorum primum « chaoticum » nominare licet, secundum « geneticum » tertium autem « mechanicum ». Ad hoc ultimum, quo in permanentia systemata cogantur, pergunt necessario phænomenorum variæ series[1] : eorum vero quæ ad societatem pertinent haud minus quam eorum quæ ad materiam[2]. Lex igitur illa, qua gentium vita consistit et quasi congelatur, e lege latiore ac constantiore pendet, naturæ ipsi rerum consentanea. Eandem necessitatem, quam nostro sæculo nonnulli philosophi patefecerunt[3], Cournotus quoque, tametsi leges illas

pute les masses la plume à la main, où l'on peut calculer les résultats précis d'un mécanisme régulier ».

1. *Ench. des Idées*, I, p. 305. « La science nous enseigne que l'ordre actuel n'a pas toujours subsisté, et que des phénomènes aujourd'hui réguliers, permanents ou périodiques ont dû être amenés graduellement à cet état de régularité, de permanence ou de périodicité. »

2. *Marche des Idées*, I, p. 236. Le monde de l'histoire « tend comme le monde physique, comme le monde des êtres vivants vers une stabilité relative, en se débarrassant successivement des causes accidentelles de désordre. » Cf. *Fondem. de nos conn.*, I, p. 366, 373.

3. Cf. ex. gr. FICHTE, cujus verba cum verbis Nostri in hoc conveniunt : « Ce sont les dernières résistances de la nature indomptée au mou-

suspectas habere professus erat, sua methodo detexit : philosopho ipso teste, qui Fortunæ potentiam quam maximam esse declaravit, Rationis est Fortunam, post sæcula, in ditionem suam subjungere.

Sic qui in medias res, tot casibus agitatas, nos quasi projecit, admonuitque ut eventa ipsa revereremur, legibus autem diffideremus, idem Cournotus humanas res, in summa, fato cuidam videtur subjicere. Quo modo constituantur societates, quibus elementis constent, qua peculiari vi earum linguæ, jura, mores, publica instituta primum generentur et efflorescant, quo deinde pulsentur communi progressu, ita ut universali rationi magis magisque omnia videantur accommodata, talem normalem convenientiam atque decursum describere, hæc secundum leges ordinare non dubitat. Quibus e legibus evadere nulli licet societati, etiamsi ejus curriculum rerum insolentissimis concursionibus, vel potentissimorum virorum voluntatibus fuerit deflexum. Communes enim conditiones sunt, sine quibus nulla hominum societas persistere potest ; quæ in cujusque societatis historia peculiaria occurrerunt,

vement progressif, régulier, harmonique qui lui est imprimé. Ce sont les dernières convulsions du chaos à l'enfantement du globe. Après cela... la terre sera vraiment digne d'être considérée comme l'habitation de l'homme. La nature n'aura plus que des mouvements harmoniques, facile à prévoir, à calculer... Chaque homme ne devra plus se considérer que comme un rouage qu'il est chargé d'engrener pour le mieux dans un mécanisme universel. » In *Destination de l'homme*, trad. fr., p. 259, 271.

ea, sæculis adjuvantibus, sese ita componere videbis ut postremo ordo exstet atque perstet. Quod necessarium intelliges, si modo animadverteris leges illas cum natura rerum, in universum observata, congruere[1]. Societatum non fuit, quanquam totius naturæ partes sunt quam maxime casibus obnoxiæ, eas effugere leges quarum opera, in natura tota, casuum perturbationes magis magisque extenuantur.

Ex his quid exsurgit nisi, ad historiam interpretandam, philosophicum nec non amplum systema? Intra cujus late patens pomærium, iis ipsis thesibus, quas Cournotus nonnunquam impugnat, locus quidam datur. Nonne cum J.-B. Vico quodam modo consentit Noster, dum ostendit « legi ætatum » societates esse obnoxias? cum Hegelio vero, dum animadvertit easdem necessitate quadam progredi, et magis magisque rationi subjici? cum Comtio. dum a scientiis omnia paulatim in societatibus duci fatetur? Hoc vero, quo illorum quisque nimius videbatur et immodicus, Cournotus derelinquit. quippe qui eorum theses, dum conciliat, caute delimitet. A theoriarum nimio cultu, philosophis peculiari, abstinere potuit, utpote qui rerum ipsarum diversitatem et fortuitam varietatem nullo modo contemneret.

1. *Rev. som. des doctr. éc.*, p. 61. « Il a bien fallu que les sociétés humaines, dans leurs développements, s'adaptassent au plan général de la nature dans la construction du monde. »

Hac præcipue de causa illam Cournoti philosophiam, historiæ accommodatam, operæ pretium est in lucem reducere : quæ hoc probavit, ab eventorum respectu legum indagationem minime secludi, nec eum qui vel Fortunae potentiam maximam tribuerit Rationi potentiam necessario denegaturum esse.

IV

DE LEGIBUS RATIONALIBUS

Non satis est describere quibus constantibus modis rerum partes componantur vel exsequantur aetates. Etiamsi illæ descriptiones cum philosophica quadam doctrina cohærere videantur, aliquid aliud desideramus: leges scilicet proprie scientificas, e quibus, nullo philosophico præjudicio alligatis, comperta phænomena deducere liceat; utpote quæ leges, non de rebus mixtis, sed de simplicibus quibusdam proprietatibus agentes, earum præfiniant universales et necessarios effectus.

Tales leges e rerum humanarum historia contrahere, ut sociologicæ scientiæ demum constituantur, utrum liceat an non, a Cournoto nunc quærere debemus.

Qui negaturus primum videtur, nec non sine ambagibus. Sæpius enim, quod ad societates attinet, effectuum universalium inquisitionem inanem esse demonstravit; quippe qui proprietates illas, quarum effectus necessarios velimus determinare, ne definiri[1] quidem et

1. *Ench. des Idées*, II, liv. IV, ch. 15. Cf. supra, p. 25 sqq.

in genera dividi posse arbitraretur. Frustra, e diversis societatibus, phænomenorum genera quasi abstrahere conaberis, ita ut, quid valeat in universum hic aut ille modus deos colendi, homines gubernandi, jura constituendi, res fabricandi, colligere possis ; omnes enim, qui in societatibus diversis exstant, tales modi momentis et locorum et temporum ita obnoxii sunt ut eorum universales effectus inferre prohibeamur[1]. Respice tantum, dum historiam cujuslibet societatis commentaris, quot intercurrentibus eventis naturales illæ proprietates quasi occultentur, quot inexspectatis privatorum aut publicorum affectuum conjunctionibus formæ illæ permanentes perturbentur, quot casibus denique normales causæ pæne exstinguantur : jam satis planum tibi erit leges, e quibus scientias sociologicas constare velis, dubium esse num unquam detegantur.

At enim nonne Rationis est, etiam in rebus implicatis et peculiaribus simplicia et universalia discernere? Quod efficit ea dum, consulto, quæ rerum permanentes convenientias casu perturbent, prætermittit. Talibus prætermissionibus nonne physicus iste utitur, dum

1. *Ibid.*, II, 195. « Il y a là (dans le jeu des forces que la politique étudie) trop de complication, trop de mélange des causes constitutionnelles et des causes fortuites, surtout trop de vague dans les nuances et d'obstacles à la précision des mesures, pour que la construction scientifique devienne possible. Il faudra se contenter d'apophthegmes ou de maximes générales, appropriées surtout à la déclamation oratoire. » Cf. *Ibid.*, 201. « Les formes politiques résistent donc comme les langues, comme les religions aux essais de classification et de coordination scientifique. »

eorum quæ ex lentitia liquidorum pendent non habet rationem, ut leges illustret quibus regatur, in universum, liquidorum æquilibrium[1] ? Quin igitur, mutatis mutandis, ita res gerant ii quibus nihil antiquius est quam scientias sociologicas constituere ?

Quod si probare possumus Cournotum ipsum, aliqua saltem ex parte, hac arte jam usum esse, tunc concludere nobis licebit eamdem sociologicis scientiis haud parvam utilitatem esse adlaturam, ut ex historicorum eventorum æstu leges quasdam scientificas illæ demum excerpant.

*
* *

Quæ de rebus æconomicis separatim exploratis scripsit Cournotus ea verisimile est inter omnia ejus opera minime nunc esse ignota[2]. Neque hercle indigna sunt quæ nunc etiam ab unoquoque rerum æconomicarum perito accuratius explanentur. Eorum vero quae ad propositum nostrum spectant, hæc tantum retinere habemus in animo : ut, æconomicis Cournoti thesibus

1. *Fondem. de nos conn.*, I, p. 321.

2. Post longum tempus videntur æconomica opera Cournoti sæpius fuisse versata : quorum unum in Germanorum, postea in Americanorum linguam translatum est. Qui de rebus æconomicis more mathematico agere conantur Cournoti auctoritatem testantur. Cf. Walras, in *Comptes rendus de l'Acad. des sciences morales*, août 1873. — Marshall, in *Principles of Economics*, I, préf. — Lexis, in *Handwörterbuch der Staatswissenschaften*, II, Art. Cournot.

breviter commemoratis, indagemus qua methodo, Cournoto duce, ad tales theses pervenire liceat, — quid denique historiæ, quid rationi sit concedendum.

Rerum igitur æconomicarum, a Nostro descriptarum quæ est forma, quæ facies? Rerum mechanicarum quam maxime similis est, non vitalium. In rebus æconomicis, ut « metiamur » quid quæque valeat, moneta utimur veluti, in rebus materialibus, pondere ac mensura[1]. Inter ea quæ a natura vel ab hominibus proferuntur bona, veluti inter physica, « densiora[2] » discernere licet, aut, veluti inter chimica, « æquivalentia[3] ». Liquidorum « æquilibrium » imitantur divitiores et tenuiores, dum opes aut laborem, secundum legem minoris conatus, huc aut illuc afferunt[4]. Denique, eadem lege qua in opere machina quadam procreato, naturales vires quas machina commutavit consummatæ remanent, ita, quanticumque in fabricando impensi sunt sumptus, ii fabricatarum rerum pretio quasi exæquari debent[5]. Ex quo fit ut res æconomicæ,

1. *Matérialisme*, p. 298.

2. *Principes de la théorie des Richesses*, p. 42. « On pourrait appeler *densité économique* ou densité de valeur d'une denrée, la valeur de cette denrée pour l'unité de poids. »

3. *Ibid.*, p. 61. « Il est naturel d'espérer qu'on aura un jour une table des *équivalents économiques* ou *industriels*. »

4. *Principes*, p. 246. « Le principe d'économie ou de la *moindre action* trouve donc son application dans la banque comme dans la mécanique. » Cf. *Ench. des Idées*, II, p. 275 sqq. La *cinématique* des valeurs.

5. *Revue som. des Doct. Ec.*, p. 75. Cf. *Principes*, p. 54. « La valeur

non modo physicis, mechanicis aut geometricis figuris describi, sed etiam mathematicis computationibus determinari possint[1].

Quod satis esse videbitur ad partes assignandas in quas Noster descenderit. Cum, usque ad hanc diem, inter æconomistas certatio sit, utrum ratione potius an historia sit utendum ad æconomicam scientiam constituendam, ideoque « Smithiani » a « Listianis » distinguantur, nonne Cournotus, dum mathematice de rerum pretio agit, Smithianorum methodum auctoritate sua videtur confirmare ?

Quorum omnibus doctrinis non is est Cournotus quidem qui plane assentiatur. Velut illam legem « æream », tam simpliciter conceptam ut vere naturalis esse videatur, valde suspectam habet[2]. Rerum pretium numero rerum, quæ proponuntur, vel earum, quæ postulantur, nullo modo metiendum esse putat. Fit ut eo cariora quædam appareant quo rariora, aut quædam eo viliora, quo crebriora proponantur. Hæc vero raro accidunt, scientiæ jure negligenda. In normali pretio rerum productarum determinantur quae consum-

de toutes les matières consommées doit se retrouver et se retrouve dans la valeur des nouveaux articles que l'établissement industriel livre au commerce. »

1. *Ench. des Idées*, II, 243. L'économie politique « n'est pas plus matérialiste que l'arithmétique et la géométrie ; elle est plutôt de la famille des sciences mathématiques, en tant qu'elle se rattache aux idées du nombre et de la mesure. »

2. *Principes de la th. des Rich.*, liv. I, chap. 2.

mantur, hoc est, quæ postulantur[1]. Hoc in loco, non autem in illo a tot æconomistis pertrito, leges quasdam mathematicas Cournotus reperiri posse censet.

Eodem modo, dum æconomicam scientiam a ceteris secernendam esse putat, criterio obsoleto haud utitur, nec concedit eam, neglectis omnibus quæcumque e societatibus exstent, de singularibus hominibus tantum, ad privata intentis, agere debere. Imo, hoc a juris scientia eam sejungendam esse putat quod illa in privatis potissimum versatur, æconomica vero in publicis[2]; homines quasi globatim hæc intuetur, illa separatim. Jurisconsulti est, seu de proprietatibus, seu de vectigalibus tractat, suum cuique adtribuere conari, et res ita componere ut quid cuique proprium maneat, quid a quoque exigatur, facillime appareat; æconomistæ vero, dum iisdem de rebus tractat, ad hoc tantum attendere quibus modis divitiæ, in universum, aut augeantur aut minuantur : qui, etiamsi de servitute abroganda agat, hanc e

1. *Ibid.*, p. 92. « Le prix règle la consommation ou, comme on dit, la *demande*, et à son tour la demande règle la production. Si cet ordre est renversé, et qu'un article ait été imprudemment produit au-delà de ce que réclame la consommation régulière, ou que le détenteur de l'article ait besoin d'en accélérer ou d'en forcer le débit, il faut bien que la marchandise s'*offre* et par conséquent s'avilisse passagèrement ou accidentellement, jusqu'à ce que la baisse de prix détermine à acheter toute la quantité offerte ; mais la théorie n'a point à s'occuper de ces cas anormaux, de ces perturbations passagères. »

2. *Ench. des Idées*, II, p. 242. « La jurisprudence touche aux intérêts privés, tandis que la science économique s'applique surtout à la société prise en corps. »

divitiarum communium incremento sit æstimaturus[1]. In summa, moralia neglegit, quibus, non materialia quidem, sed ea quæ mensuram patiuntur anteponit, ideoque multitudines potius quam singulos homines respicit. Nec mirum, si modo animadverteris e multiplicatis tantum mutationibus et sociali commercio ea emergere quæ liceat œconomistæ comperire[2] : quid valeat per se vectigalis alicujus impositio, sumptuum auctio vel diminutio, hoc difficile detegas, nisi locis et temporibus tam late patentibus ut ea, quam « legem magnorum numerorum » mathematici nominant, uti possis. In societatibus tantum, singulorum arbitriis quasi ad nihilum redactis, commune rerum pretium, sine quo nulla constat æconomica scientia, eminere potest.

E quibus ne concludas ea tantum, Cournoti sententia, œconomico studio esse digna, quæ ad nationum vitam pertinent; quippe cujus doctrina œconomicum « nationalismum » haud minus quam « individualismum » quasi transgrediatur atque superet. Quanquam nationalium morum et institutorum potentiam

1. *Ench. des Idées*, II, liv. IV, chap. 12. De l'Idée économique.

2. *Revue sommaire*, p. 325, 327. « Voyez en effet à quelles conditions se réalisent ou tendent à se réaliser l'idée abstraite de la richesse et toutes les conséquences qu'on en tire. Il faut le concours d'un grand nombre d'acheteurs et de vendeurs pour qu'il s'établisse un prix courant ou une valeur commerciale déterminée. Il faut embrasser un temps et un espace assez considérable pour que tous les effets des causes irrégulières et accidentelles se soient sensiblement compensés. »

in omnibus rebus exploratam habet[1], præmonet nos Cournotus ut, sicuti a juridicis rebus, ita a politicis res proprie æconomicas sedulo secernamus. Etenim, quod primum est, etsi natione, vel patria, vel civitate potissimum homines consociantur, dissimilia sunt societatum vincula, quorum alia e linguæ vel religionis, alia ex utilitatis communione trahuntur[2] : ita ut, dum notare volumus quid societatum forma ad augendas vel minuendas divitias conferat, immerito de nationibus tantum agimus. Deinde, antequam talium intercessionum effectus notandi sunt, constantiora et universalia sunt præfinienda. Qui nationali tantum æconomiæ studere conatur, is non modo eorum « internationalium » phænomenorum oblitus esse videtur, quorum vis et efficientia non potest non crescere[3], sed prius, si dicere fas est « supranationalium[4] » : ea dicimus quæ, ubicumque et quocumque sub imperio homines congregati sunt, e divitiarum mutatione et communium pretiorum constitutione exsistunt. Illud igitur

1. *Revue sommaire*, p. 223-229; in quibus cit. List.

2. *Principes de la Th. des Rich.*, p. 26. « La communauté des intérêts économiques tend notamment à former des confédérations économiques entre des populations que la politique désunissait. »

3. *Ibid.*, liv. IV, ch. 6. Des tendances cosmopolites.

4. *Ibid.*, 27. « Chaque peuple a ses coutumes et son droit national, en même temps qu'il obéit à des règles juridiques d'une application universelle... De même pour la science de l'économie sociale, qui comprendra des chapitres d'une application générale, et d'autres exclusivement ou plus spécialement applicables aux peuples de tel tempérament, placés dans telles conditions déterminées. »

dubium est num iis plane faverit Cournotus, qui scientiam æconomicam omnium, quæ nationibus peculiaria sint, phænomenorum redintegratione renovare, atque, ut aiunt, historiæ accommodare conati sunt. Qui, ad sociologicas scientias constituendas, socialium phænomenorum genera distinguenda esse arbitratur[1]; adeo ut, æconomistis civitates, veluti jura aut religiones, hac ex parte tantum describendas esse censet qua possint rerum commutare pretia[2].

Ex quibus facile intelligas, in hac vexata quæstione, de libertate æconomica, quid sentiat Noster. Quam libertatem non is est qui certis argumentis valde utilem vel necessariam postulare velit; quippe qui expertus sit politicas quæstiones raro certis rationibus exsolvi posse. Hoc quidem ipso libertati præcellentia quædam est imputanda : nam ubi res adeo obscuræ et implicatæ sunt ut eas pæne impossibile videatur prudentia administrare, tum securius est naturæ apertum dare locum[3]. Quod

1. *Principes de la th. du Rich.*, p. 139. « Il nous a paru conforme à la méthode scientifique de montrer qu'on peut traiter, d'un point de vue purement économique, des questions qui sont scientifiquement indépendantes de la politique... Ainsi font les géomètres lorsqu'ils évitent de mêler la physique à des théories qui sont du ressort des mathématiques pures. »

2. *Revue sommaire*, p. 302.

3. *Revue sommaire*, p. 168. Il est important de montrer « tout ce qui nous manque pour donner la solution vraiment scientifique de questions que la polémique quotidienne tranche hardiment et sur lesquelles il faut bien prendre un parti dans la pratique. » — *Ench. des Idées*, II, p. 256. « Le fameux adage économique : *laissez faire, laissez passer*, ne peut signifier qu'une chose, à savoir que, dans les questions très compli-

igitur ad gubernandas res attinet, libertas eo tantum valet, quia ignorantiæ nostræ expedit. Quod vero ad cognoscendas, alia notanda sunt. A scientia enim libertas æconomica postulari videtur : ubi liberiores sunt homines, ubi res mobiliores, ibi clarior elucet æquivalentium mutatio, et constantiora eminent pretia communia[1]. Dum nulla humana lex obstat quin res secundum sua pretia ordinentur, pretiorum facilius patent leges naturales. Libertatem æconomicam animadvertit acutissime Cournotus, nihil aliud esse quam æconomicum fatum. Hoc est cur æconomistæ, rationalium legum curiosi, huic notioni adhæreant : quam non veluti quid ab æconomica scientia præscriptum et demonstratum, sed postulatum usurpare decet[2]. Ita Noster hoc utilissimum discrimen, ad quod post tot disputationes redeunt hodie complures æconomistæ[3],

quées où nous courons grand risque de nous tromper pour l'application de nos théories, le plus sûr, comme le plus simple, est de laisser la nature agir. » Cf. *Marche des Idées*, II, p. 202.

1. *Revue sommaire*, p. 52. « Toutes les modifications introduites dans nos institutions politiques et civiles... concourent à cette facilité d'échange ou à cette mobilité commerciale qui permet d'appliquer, sans trop de mécomptes, aux réalités de la vie sociale, les théories fondées sur le type idéal d'une mobilité parfaite. » Cf. *Marche des Idées*, II, 95.

2. *Marche des Idées*, II, p. 261. « Les principes de la liberté économique sont bien moins des théorèmes établis scientifiquement que des postulats nécessaires à l'établissement de la science économique. » — Cf. *Ibid.*, 262. « Le principe de la liberté économique... n'est à le bien prendre que le principe de la fatalité économique et, pour cette raison même, se prête aux conditions de la science. »

3. Ex. gr. : Dietzel, Menger, Wagner. Quam conversionem jam

primus illustravit; utpote qui concius esset, haud sine postulatis certis scientiam ullam ex historia emergere posse.

Hoc igitur, ad æconomicam saltem scientiam constituendam, Cournotus necessarium professus est, rerum diversitatem aliqua ex parte prætermittere ut, eas quæ regant, leges universales seligantur. Quo, veterum æconomistarum quanquam theses haud semel refutavit, methodum quodam modo nobis servandam esse demonstrat, dummodo conscii simus eas quas postulamus ad ædificandam doctrinam conditiones ratione concipi, non semper et ubique historia præstari. Historia quidem gentes nostræ magis magisque rationalibus conditionibus appropinquant: ille quem comperimus progressus quo mechanica paulatim in locum vitalium succedunt, hoc uno continetur, quod æconomica momenta magis magisque cæteris prævalent[1]. Quo latior et constantior fit cultus hominum, eo certius cum rebus ipsis æconomicæ doctrinæ conveniunt.

Nunquam tamen perfectam atque absolutam eam

demonstravimus in nostro libro : *Des sciences sociales en Allemagne*, ch. III.

1. *Principes de la Th. des Rich.*, p. 29. « L'idée d'une utilité sociale, d'une économie sociale apparaît (par le développement même des peuples) et tend à se subordonner les institutions du droit civil et les institutions politiques. » Cf. *Revue sommaire*, p. 264. « Les sociétés humaines... ont en plus grande partie dépouillé les caractères de l'organisme vivant, lorsqu'elles sont arrivées aux phases dans lesquelles l'économiste les considère. »

convenientiam reperias. Rerum implicatio doctrinarum simplicitati resistit atque repugnat. Necesse semper erit æconomistæ, ut leges conceptas de rebus affirmet, has et ad motum aptiores et ad mensuram accommodatiores fingere quam historia vel recentissima tradiderit[1], et occursus interim neglegere, quibus politica vel juridica vel moralia æconomicorum normalem cursum deflectere solent. Ex quo planum videtur leges æconomicas ipsas, etiamsi quarumdam societatum novissimis mutationibus quodam modo convenientes, e rationis conceptu potius quam ex historica notatione auctoritatem accepisse.

*
* *

Quid igitur nos vetat, arte simili, proprietates peculiariter sociologicas definire quarum constantes effectus ex historia liceat abstrahere?

Aliqua ex parte huic indagationi Cournotus primum adversari videtur ; quippe qui gentium naturas in historia plurimum valere concedat. Ineunte sæculo nostro, certant historiarum scriptores hominum naturalia ge-

1. *Revue sommaire* : Nécessité des « hypothèses théoriques » (p. 165) : « des abstractions auxquelles il faut toujours recourir pour simplifier les questions et les rendre accessibles au raisonnement » (p. 335). Simplifications « pour les besoins de la construction scientifique » (p. 264). — Cf. *Principes*, p. 82. — Similibus verbis utitur Wagner, in *Grundlegung der Politischen OEkonomie*, I, p. 167-241.

nera in lucem reducere. Quorum generum constantiam et potentiam Noster quoque miratur. Quanquam casibus obnoxios, et Gallos animadvertit et Germanos eosdem usque ad nostram ætatem exstitisse, ex eo tempore quo Cæsar et Tacitus eorum facies ac mores descripserunt[1]. Historicis Thierry et Renan assentitur, Northmanorum vel Semitum innatam indolem adumbrantibus. « Non omnia possumus omnes », hoc valere Cournotus censet tam de gentibus quam de singularibus hominibus[2]; adeo ut ratio qua non modo linguæ sed mores, publica instituta, religiones ipsæ conformentur, in corporum conformatione quasi præscripta esse videatur[3].

Hanc vero corporum conformationem non is est Noster qui unicam rerum gestarum causam esse declaret. Ex quo jam patet anthropologicam scientiam aliis disciplinis nonnullum relinquere locum. Imo, quæ ea scientia describit attributa magis magisque progressu humanitatis obliterata sunt[4]; ita ut, quod ad cultiores

1. *Matérialisme*. p. 177. Cf. *Ench. des Idées*. II, p. 47, 362.

2. *Marche des Idées et des Év.*, I, p. 53. Cf. *Ench. des Idées*. II, p. 5. « Le sauvage construira sa hutte, ici avec telle espèce de matériaux, et là avec telle autre, selon les matériaux mis à sa disposition et selon les exigences du climat, comme aussi d'après les *instincts de sa race*. »

3. *Ench. des Idées*, II, p. 202. « Les instincts et les idées politiques dépendent certainement du génie natif des races. » Cf. *ibid.*, 289, 455.

4. *Ench. des Idées*, II, p. 372. « Il ne faut pas s'exagérer l'importance historique de ces particularités de constitution intellectuelles comparées à ce qu'il y a de nécessaire et d'universel dans la nature humaine. » *Ibid.*,

societates attinet, majoris momenti sint causæ, quæ hominum naturalibus generibus non inhærent.

Quas ne credas e materialibus tantum phænomenis, e terrarum scilicet vel cœli natura atque inclinatione pendere. Harum quidem Noster non oblitus est. Europæ historicum fatum dum ex ejusdem physicis attributis, aliqua saltem ex parte, trahit[1], et commemorat quemadmodum cœlorum temperata diversitate, frugum modiça ubertate, terrarum et marium idonea distributione ejus incolæ ad labores et commercia humanitatis cultui quam maxime apta excitati sint, ea scientia utitur qua diversi modi quibus orbis terrarum formæ hominum mores inficere solent definiendi sunt.

Cum autem animadvertit ex ordinibus societatis, sponte distinctis, mox « castas » oriri rite clausas, eas deinde paulatim frangi ac delabi : optimatum nepotes traditis muneribus non fungi, et ita mox privilegiis orbari : propter nimiam potestatem libertatem desiderari, deinde potestatem propter nimiam libertatem ; populos fortitudine vincere, victoria autem ipsa enervari et vinci[2] : hæc omnia neque a soli cujusdam neque a cu-

II, p. 346. Une civilisation progressive « émousse » les caractères ethnologiques.

1. *Ibid.*, II, p. 367. « L'Europe, cette légataire universelle des fruits du travail de toutes les races et de tous les siècles, l'Europe a des caractères physiques qui lui sont particuliers et qui doivent expliquer (en partie du moins) son rôle historique. »

2. *Ibid.*, II, p. 335, 336.

jusdam generis hominum materiali constitutione pendere Noster declarat. Ad ea definienda adducitur, quæ, e societatum ipsarum constitutione assumpta, in omnes phænomenorum series, quascumque historia præstat, certam constantemque vim exercent.

Verbi gratia, in religionum naturam et vitam quantum posset species atque forma societatum, in quibus illæ versantur, Noster sollertissime ostendit. Qui sæpe præmonuit ut religiones non modo doctrina sed sociali conformatione secernerentur[1]. Sedulo distinxit ipse, ab iis quas « hieraticas » nominare suadet, « proselyticas ». Illæ, dum morem majorum consecrant, externos homines ut hostes repudiant, atque sua peculiaria dogmata integra et intacta in latebris servare conantur; progressu vero et hominum extenso commercio non possunt non quassari. Humanitati cultiori proselyticæ conveniunt religiones ; quæ, quoniam homines diversos in unam disciplinam cogere conantur, ideo in suis dogmatibus quidquid ad hominum corpora et sanguinem attinet prætermittere debent[2] ; ita ut sociali quam

1. *Matérialisme*, p. 207. Il faut discerner « la double participation des institutions religieuses à la vie de la société et à la vie de la personne humaine, prise dans son individualité. »

2. *Marche des Idées et des Év.*, I, p. 75. « Il est de la nature des religions prosélytiques d'incliner au spiritualisme et à l'ascétisme, c'est-à-dire de tenir peu de compte de l'homme charnel, qui porte visiblement l'empreinte de tant de différences individuelles et de tant de différences de races, pour s'attacher de préférence à un principe intérieur et invisible. » Cf. *Ibid.*, p. 201.

usurpant formæ earum doctrina fiat consentanea. Nec doctrinæ tantum, sed fervor et pietas mutantur simul cum religionum sociologicis constitutionibus[1]. Non idem est fidelium animus antiquis temporibus, quibus Ecclesia respublica parva est cujus officia et munera vicissim fratribus mandantur, atque his recentioribus, quibus corpora Ecclesiæ, e partibus sejunctis constituta, vitam quasi politicam agunt, et politicis sæpe potius quam vere religiosis animorum motibus sustentantur ac servantur. Ex quo percipitur ad pietatem servandam instituta haud minoris momenti esse quam dogmata[2]. Institutis haud minus quam ideis nisæ religiones tot sustinuerunt impetus[3] : quarum non modo materialis, sed moralis vis ab hoc pendet, utrum cum civitate ipsa confundantur, an, in se constitutæ, civitati ipsi resistant : adeo ut, Cournoto duce, in summa, multo plura e societatum quam e corporum humanorum vel terrarum conformatione religiones accipere fatendum est.

De politicis autem rebus quid dicamus? In quibus philosophos potissimum societatum genera exquisivisse nemo est qui ignoret. Hi autem quam raro in medias sociologicas res descenderint. Cournotus animadver-

1. *Ench. des Idées*, II, p. 457, 458.
2. *Marche des Idées*, I, p. 78.
3. *Ench. des Idées*, II, p. 139-149. Explication de « la vertu propre aux institutions religieuses. »

tit. Etenim e tribus, vulgo distinctis, civitatum generibus, quorum unum Respublica, alterum Monarchia, tertium autem Aristocratia nominari solet, notandum est nullum politicis societatibus proprie convenire : Hæ sunt potius « omnis societatis formales conditiones[1] », quas nunc in æconomicis, nunc in militaribus, nunc in religiosis conventibus haud minus quam in politicis agnoscere licet. Quibus conditionibus adeo inane est rerum publicarum species definire ut in civitatibus dissimillimis similes, in simillimis autem dissimiles illæ formæ ostendantur. Verbi gratia, num ejusdem generis sunt Græcæ et Asiaticæ Monarchiæ, Hebræorum et Americanorum Respublicæ? Politicarum constitutionum causas et fontes detegere si velis, in fundamenta societatum inquirendum est altius. Utrum vagantur homines an sedent? in agris an in urbibus? hæc sunt maximi momenti[2]. Prout enim societates sunt nomadum vel sedentium, agricolarum vel urbanorum artibus et cultui deditorum, differunt politicæ conjunctionis et publicæ administrationis rationes;

1. *Ench. des Idées*, II, p. 200 sqq. « A la vérité, de quelque manifestation du pouvoir politique qu'il puisse être question, on trouve, ou un chef qui agit, ou un conseil qui délibère, ou la foule des individus intéressés qui tantôt acclame et tantôt se mutine. Mais ces conditions *formelles* n'ont rien de particulier aux pouvoirs politiques : on les retrouve dans toutes les manifestations de la vie sociale. »

2. *Ibid.*, II, p. 202. « Le genre de vie, nomade ou sédentaire, rustique ou citadin, voilà ce qui tend surtout à caractériser les institutions politiques. » — Cf. *Marche des Idées*, II, p. 254.

nunc in « tribu » hæ poni videntur, nunc in « regione », nunc in proprie dicta « civitate[1] ». Earum suos quæque optimates habet. suos principes, suos populos, suos denique normales modos homines gubernandi, jura faciendi, res administrandi. Quos modos cum modis antea vulgo definitis oportet non confundere, quia ex interiore societatum structura pendent, ideoque, ut difficilius commutantur sic ad majora efficienda idonei sunt.

Ne vero credas in politicis tantum aut religiosis rebus tales versari effectus : quid de juribus, de officiis sentiant homines, qua vi motibus animi resistant aut cedant. hæc omnia e societatum forma ex aliqua parte pendere Cournotus animadvertit. Verbi gratia, cum cætu homines conjunguntur arcto et angusto, a cæteris sedulo sejuncto, tum nihil iis antiquius est quam jura servare et officiis fungi ; ea enim corde diliguntur quibus homines quasi privilegio quodam honorantur. Quæ autem cum omnibus hominibus communia sunt jura et officia minoris momenti nobis esse videntur[2]; adeo consociationum latitudine consociatorum opiniones deflecti possunt.

Nulla enim vis major opiniones movet quam ea quæ e

1. *Ench. des Idées*, II, p. 204-208.
2. *Ibid.*, II, 186, p. 187. « Plus le droit a de singularité, plus il ressemble à un privilège, et plus les hommes s'y attachent. » — Cf. *Marche des Idées*, II, p. 273. — *Matérialisme*, p. 213.

modis oritur, secundum quos constituuntur societates. Quod si Germani libertatem potissimum dilexerunt, hoc non tam ex eorum anatomica conformatione Noster ducendum esse fatetur quam ex eorum vita, in silvis, non in urbibus, tolerata[1]. Eodem modo, quod ii qui Angliam subegerunt superbi fuerunt et jurum suorum tenaces, hoc, Macaulay teste, minus ex eorum physica indole quam e sociali conditione fuit trahendum[2]. Populos autem nostros, quasi confuse perlibratos, cum populis secundum gradus ordinemque compositis confer ; intelliges quare, non Gallorum tantum sed omnium liberiorum gentium animi sine intermissione inquieti eorumque motus subiti esse soleant[3]. Eadem ratione, quid e congregationibus clerorum, vel e conjuratorum occultis cœtibus oriri debeat[4], Noster enuntiat. Ita ut jure concludamus eum tot exemplis sese curiosum ostendisse earum proprietatum quarum constantes effectus sociologica scientia hodierno die explicare conetur.

*
* *

Ex quo satis plane percipi potest talium legum a[illegible]

1. *Marche des Idées*, II, p. 254.
2. *Ench. des Idées*, II, p. 166, 167.
3. *Marche des Idées*, II, p. 272. « Il est naturel que les sociétés [illegible]i velées passent par des alternatives de turbulence et de soumission, tan[illegible]i que l'agitation contenue (*sub lege libertas*) est le propre des socié[illegible]é hiérarchiquement constituées. »

indagatione Cournotum non ita abhorrere. Historicarum rerum varietate et mobilitate quanquam præoccupatus, historiam componenti non modo eventa majora sed et leges universales fatetur obvenire[1].

Quarum quasdam ipse non dubitat enuntiare. Nempe e rebus æconomicis plurimas contrahit, quibus etiam mathematicam adhibet formam : quod dum efficit, inter veteres et recentiores æconomistas, quorum hi rationis, illi historiæ, hi « individualismi », illi « nationalismi » fautores esse videntur, quasi medius exstat, comprobatque nova vetere methodo instaurata posse detegi. Imo scientias sociologicas, rarius quod difficilius excultas aggreditur ; nec paucis exemplis demonstrat qua ratione quæ e societatum forma pendeant constantes proprietates in lucem proferri possint : ita ut qui sociologiæ constituendæ student, Cournoti exempla Cournoti vetitis opponentes, ex ipsius disciplina magnam spem concipere possint.

Quanta impedimenta iis obventura essent, non frustra quidem Noster commemoravit. Quot et temporum et locorum diversis momentis societatum proprietates sint obnoxiæ, hoc utilissimum est nobis dictitare. Ex quo notandum est sociologicas leges non statim ex implicata rerum comparatione inferri posse ; tales leges

1. *Ench. des Idées*, II, p. 351. « La philosophie de l'histoire trouve des lois sur son chemin, des lois dont on peut assigner la raison théorique. »

ut enuntiemus, necesse est multa consulto prætermittere ; utpote quæ, intellectus contentione, e rerum diversitate abstrahendæ sint. Harum peculiarium conditionum cum magni referat neminem oblivisci, gratiæ Cournoto agendæ sunt, quod nos difficillimum esse laborem sæpius admonuerit.

Laborem istum haud inutilem et inanem futurum esse censuit atque exemplo jam demonstravit : hoc nunc retinere libet. Cournoti potissimum haec opinio nobis pretiosa esse videtur. Maximi momenti est, qui Fortunæ imperium in historia quasi instauravit, atque ex casibus creberrimis res humanas pendere declaravit, eumdem non dubitavisse quin in historia ipsa leges quædam patefierent Rationi consentaneæ.

V

CONCLUSIO

Quid ad sociologicas scientias constituendas e Cournoti philosophia sumere liceret, in animo habuimus exponere.

Ejus autem philosophiæ capita dum retulimus, disciplinam quam maxime scientiis sociologicis infensam jure visi sumus elegisse. Omnia enim, quibus istas scientias impossibiles aut inanes esse satis superque demonstratur, hoc uno pariter nituntur argumento : res humanas a Fortuna regi. Cournotus autem is est philosophus qui Fortunæ jura instauravisse eamque quasi redivivam fecisse videatur.

Qui eam non ab hominibus tantum in mundum delatam esse censet ; non homines solos, sed res, non societatem solam sed naturam casibus jam subjectam esse demonstrat. Adeo ut eventa Rationi repugnantia non historiarum tantum scriptori sed vitalium quoque, imo « physicarum » rerum inquisitori consignanda sint. Ita Cournoti philosophiæ omnes partes a Fortuna gubernari dicas.

Non obstat tamen hoc Fortunæ imperium quin eadem philosophia Rationi det locum. Leges vere « rationales », quibus in universum, ubicumque appareant, phænomenorum proprietates parere debeant, perfectæ cujusdam scientiæ est concipere. Quæ etiamsi nos effugerint, restat ut ordinem constantem describamus, secundum quem existentium attributa conjungantur aut ætates sequantur, et ita « empiricas » inferamus leges. Imo, his legibus etiam deficientibus, inter eventa ipsa discernendum est, ut ab istis minoribus « majora », stabiliora, primaria seligantur. His tribus imparibus modis cognoscendi dum utuntur scientiæ, quæ de rerum natura agunt, aliquid, Rationis beneficio, Fortunæ possunt subducere.

Quid vero de iis scientiis quæ de societatibus agunt? In societatum historia potissimum fortuitos casus magni momenti Cournotus esse declarat. Haud tamen dubitat quin ex ea aliquid Rationi sit contrahendum.

Ac primum quidem, etiamsi de eventis tantum sine ulla doctrina tractaveris, quædam tibi seligenda sunt eminentia, e quibus cætera pendere videantur. Sic, quamvis in gentium decursum libertas humana, magnorum virorum inauditæ voluntates, rerum ipsarum inexspectatæ conjunctiones haud parum valeant, flumina constantia delineare licet, quorum impetum societates difficile declinare queant.

Deinde, quamvis multa populus quisque peculiaria experiatur, communia tamen et constantia in populorum natura et vita deprehendere licet. Ita, si modo respexeris qua ratione societatum elementa cohærere aut momenta evolvi soleant, ea legibus quibusdam obtemperare animadvertes, quarum opera cœtus hominum vitalibus primum, postea autem mechanicis rebus jure videantur assimilari.

Imo, phænomenorum quæ in omnibus gentibus eadem versantur proprietates universales definire haud omnino vetandum est. Licet enim occurrentia et perturbantia consulto prætermittere, ita ut leges proprie scientificæ emineant, quibus non tantum œconomicorum pretiorum constantes librationes, sed et socialium formarum universales effectus quodam modo determinentur.

In summa, scientiis sociologicis, etsi de rebus aguant casibus maxime obnoxiis, Cournotus talem licentiam dat ut non modo *majora eventa*, sed et *leges empiricas* imo *leges rationales* gradatim adipiscantur. Adeo ut illa philosophia quanquam, prima facie, Fortunæ instauratione Rationi res sociales informare cupienti videbatur esse quam firmissime obstatura, omnibus contra, quæcumque sociologicarum scientiarum fautores nostri pollicentur aut sperant, auctoritatem afferre videatur.

*
* *

Cujus philosophiæ licet theses secundarias vel ipsa principia infitieris. Verbi gratia, fieri potest non modo ut, scientiis historicis in dies progredientibus, in eventorum quorumdam æstimatione Cournotus videatur erravisse, sed etiam ut, scientiis naturalibus haud impari gradu progredientibus, eumdem demonstres « vitalismo » nimium credidisse. Imo, sunt quibus Fortunæ nimis, Rationi vero non satis stabile fundamentum Noster dedisse videatur.

Nobis vero tales disputationes declinare liceat, utpote quæ ad nostrum propositum non statim spectent : ad sociologicas tantum scientias constituendas utilia præcepta volumus ex illa philosophia haurire. Quod autem ad theses secundarias attinet, etiamsi hanc aut illam falsam esse patuerit, hoc ipso non manifestum erit methodum a Nostro laudatam sterilem aut periculosam esse. Imo, ejus methodi pretium e philosophicorum principiorum pretio, quæ Noster probavit, non necessario pendere videtur. Fortunæ enim vim, etiamsi ima rerum metaphysica quadam ratione penitus inspicienti ad nihilum sit redigenda, concedes sane phænomenorum concursionem inexspectatos exercere effectus ; ita ut qui phænomenorum leges scientifice determinare cupit, de casibus, majoribus vel minoribus, rationem habere debeat ad eorum effectus elidendos. Quamobrem, ut sociologicas scientias constituamus, nullo modo necesse est nos doctrinam illam Cournoti retorquere, qua For-

tunam quasi in visceribus rerum collocavit ; libet potius a fortiori concludere scientias illas valde possibiles videri, quoniam philosophus, qui maximam Fortunæ contulit auctoritatem, eas haud impossibiles esse demonstravit.

*
* *

Præcepta vero, quæ ex illa philosophia retinuimus, quantum valeant, historia ipsa sociologicarum scientiarum, nostro quidem sæculo, satis superque docet. Quibus hæ scientiæ promotæ sunt opera dignissima memoria repete animo : haud dubium quin sentias eorum pleraque præceptis, quæ diximus, obsecuta esse : exquisitione eventorum majorum, deinde legum empiricarum, denique legum rationalium, scientiæ sociologicæ ætate nostra progressæ sunt.

Verbi gratia qua laude ac virtute eorum historicorum quibus Tocqueville, Guizot, Fustel de Coulanges nomina assignantur opera eminere putas, veluti nostris scientiis maxime profutura? nisi quod illi inter eventa distinguere assueverunt, minoribus et transeuntibus majora et permanentia anteponere, nec tam e præliorum fortuito successu, e regum subita mutatione, e magnorum ipsorum virorum inexspectata præstantia quam e communibus et annosis opinionibus, e moribus pervulgatis, ex institutis diverso modo compositis,

Quorum unus pristinæ civitatis diversa instituta, non ex cujuslibet regis aut tribuni arbitrio, sed ex his, quæ credit populus, pendere demonstrat[1]; alter, quæ sunt nostris gentibus peculiaria ducit e varietate principiorum quibus eæ, auctoritate cum libertate aptissime mixta, ab initio rectæ sunt[2]; tertius ostendit quid valeat in instituta publica, quid in mores, in modos agendi vel sentiendi ille ineluctabilis atque, si dicere fas est, divinus impetus quo homines ad æqualitatem trahuntur[3]. Quas demonstrationes si memoria repetiveris, haud dubium quin agnoscas illorum historicorum methodum cum ea quam primam e Cournoti operibus sumpsimus mire congruere; adeo sollerter viam delineavit Noster qua in sociologicas scientias historia influere debet.

Quod autem ad legum descriptionem attinet, secundum quas societatum elementa convivant ac succedant, satis est Spencer, Comte eorumque discipulos vocare, ut comperiamus ab his Cournoti vota, aliqua saltem parte, esse expleta. Quorum philosophorum alter potius explicavit quibus organis et actionibus socialia vitalibus essent similia : qua constantia societatum elementa, etsi temporibus ac locis distantium, dissimiliora fierent ut aptius ordinarentur : qua denique necessitate naturali

1. *La Cité antique.*
2. *Histoire de la civilisation en Europe.*
3. *De la démocratie en Amérique.*

populorum vices eædem, in summa, fluere deberent. Alter, dum ostendit mores et instituta publica ex modis pendere quibus homines cognoscant rerum naturam, confirmat societates humanas, scientiis progredientibus, magis magisque ex ratione administrari; ita ut alterutrius nonnullas doctrinas Noster una mente videatur comprehendisse.

Leges denique proprie scientificas, quibus phænomenorum, quæ in societatibus versantur, proprietates definiantur in universum, sunt qui hodierno die methodice requirant. Diutius quidem scientia æconomica a rationali methodo abhorrere visa est; utpote quæ, veterum æconomistarum dogmatibus infensa, diversorum momentorum curiosa quibus quæque natio suis rebus æconomicis propriam effigiem imponeret, in historiam quasi delaberetur[1]. Nonnulli vero senserunt quam impossibile esset ei, qui diversa historiæ momenta complecti conaretur, scientiam quamdam constituere, et ita veteri methodo, renovatæ quidem et necessariarum correctionum consciæ, honorem redhibuerunt. Sic, verbi gratia, et Menger, et Wagner, alter audacius, prudentius alter, necessariam esse declarant artem qua, neglectis quæ in historia accidunt, leges universales concipiantur, quibus determinentur pretia

1. Cf. Schmoller, *Litteraturgeschichte der Staats und Socialwissenschaften.*

rerum[1] : qua methodo dum utuntur, utuntur methodo a Cournoto commendata.

Quod autem ad scientiam proprie sociologicam attinet, Tarde, Durkhein. Simmel citare satis est. Quorum unus dum modos discernit quibus homines aut suos majores aut suos æquales imitentur[2] ; alter, quæ effluant e societatum inter se occurrentium frequentia[3] : tertius qua necessitate, in « densioribus » civitatibus, diversi labores distribuantur[4], conantur æque, quanquam dissimilibus operibus, sociologica phænomena in universum definire, — quod Noster quoque, ut vidimus, aliqua ex parte jam conatus est.

Quos diversos historicorum vel philosophicorum, æconomicorum vel sociologicorum operum auctores dum citamus, nullo modo in animo habemus probare eos a Nostro doctrinam aut methodum esse mutuatos. Quorum constat nonnullos Cournoti æquales fuisse, posterorum vero plerosque, ut videtur, raro Cournoti opera versavisse nec ejus consiliis multum esse usos. Non est nostrum propositum demonstrare, — quod philosophorum commentatoribus sæpius accidit, — omnia, quæ, nostro sæculo, digna notatu inventa sint,

1. MENGER. *Untersuchungen über die Methode der Socialwissenschaften.* — WAGNER. *Grundlegung der Politischen Ækonomie*, vol. I.

2. *Les lois de l'Imitation.*

3. *Ueber Sociale Differenzierung.*

4. *La division du travail social.*

ex auctoris nostri operibus defluxisse. Hoc tantum, dum progressus scientiarum sociologicarum breviter enumeramus, cupimus comprobare, methodos quibus et eventa majora, et leges empiricas, et leges rationales eæ adeptæ sunt, cum eis methodis mire congruere, quas e Nostri philosophia haurire conati sumus ; ita ut haud temere concludamus philosophiam Cournoti, sinon fontem exstitisse, e quo scientiæ sociologicæ manarent, iisdem saltem quasi speculum aptum præbere, in quo clarius respiciant qua ratione et jam progressæ sint, et mox progressuræ.

*
* *

Imo, quam ob causam ætate nostra utilissimum sit Cournoti dicta commentari, hoc superest ut breviter commemoremus.

Tot enim de sociologicis scientiis hodiernæ disputationes ex eo nascuntur quod de iis æquales agunt alterutro animo præoccupati : alii nimis « historico » alii nimis « philosophico ». Quam utramque mentis periculosam consuetudinem effugere possis, si modo Cournoti operibus utaris.

Facillime enim hi qui philosophica disciplina conformantur, absolutorum systematum curiosi universalibusque demonstrationibus assueti, in historia hominum omnia vel tenuissima eventa lege quadam

æterna et una determinari arbitrantur : ita ut, eorum sententia, si quis ultima principia societatum detexerit, ille par sit omnibus a priori deducendis, quaecumque in curriculo gentium casu evenire videantur. Qui postquam legem aliquam certæ phænomenorum seriei insitam aperuerunt, haud dubitare videntur quin eadem omnium qualiumcumque phænomenorum, quanquam diversis temporum ac locorum observatorum momentis, rationem necessario reddat ; rationali ordine allecti, nec non rerum diversitatis obliti, clavem, quam semel repererunt, cuicumque foramini sponte naturæ accommodatam esse credunt.

Quod ne credas illis philosophis esse peculiare qui, kantiana doctrina instructi eidemque infideles, leges et naturæ et historiæ a priori vaticinari ausi sunt ; eadem ambitione peccaverunt nonnulli qui rebus ipsis, non ideis, inservire profitentur. Ex. gr. K. Marx, dum omnia, in societatum vita, sive de religione, sive de moribus agitur, ab « æconomica substructione » pendere declarat, videtur, etsi Hegelianæ doctrinæ infensus haud minus « philosophica » methodo usus esse[1]. Quod de Comtio quoque dicas : quippe qui et omnia in societatum vita a scientiarum progressu pendere declaraverit, et omnes societates, quanquam diversas,

1. Cf. BARTH. *Die Geschichtsphilosophie Hegels und der Hegelianer.*

uni eidemque legi finxerit esse obnoxias[1]. Atque, — si ad recentiores accedere fas est, — nonne G. Tarde ipse, etsi Cournotiana disciplina præmunitus, eodem crimine jure arguitur? Cujus opera ad hoc unum pergere videntur, ut omnia quæcumque accidant, ducant e legibus quibus homines sese imitari soleant.

Hoc systematum vitium, — quod Germani nomine *Einseitigkeit* satis clare designant, — Nostri opiniones aptissime coercent. Monet enim peropportune quam caute de rebus humanis in universum aliquid proferre deceat; legem in una phænomenorum serie repertam non nisi ceteris paribus alibi valere; circumstantium et occurrentium eventorum, e quibus eam quasi abstrahimus, rationem esse tenendam: imo leges cæteras esse computandas, quarum concursu hic aut ille effectus, quanquam a nostra demonstratione præfinitus, occultari et quasi exstingui possit: in historia denique partem aliquam inopinatis accidentibus semper esse servandam, at satis esse si, tenuioribus rivulis etiam incertis et quasi errantibus, majora flumina rerum delineata fuerint.

Sunt autem qui, disciplina historica conformati, eventorum peculiarium indagationi assueti, systemata suspecta habeant, quibuscumque rerum mobilitati ordinem cohærentiamque quamdam imponere cone-

1. Cf. Durkheim. *Les règles de la méthode sociologique*.

mur. Hi, dum circumstantia et occurrentia, diligenter in lucem reducta, sub oculis servant, ea potissimum animadvertunt, quibus res inter se differant[1] novasque præstent concursiones, nec aliquid putant e legibus universis duci posse. Quibus si legem quamdam proponas qua res, aliqua saltem ex parte, regantur, nihil antiquius est quam exceptiones colligere, atque commemorare quo modo, hoc aut illo loco ac tempore, aliter res se habeant quam debuerint, si nostris paruissent doctrinis ; adeo ut, eorum sententia, in rebus historicis facta peculiaria quam plurima detegere operæ pretium esse videatur, inane vero vel potius periculosum doctrinis quibuslibet uti ad leges nescio quas detegendas.

Ex. gr. Seignobos postquam demonstravit quo modo politicæ constitutiones in Europa, nostra quidem ætate, mutatæ essent, nos admonet ne illarum mutationum causas constantes exquiramus ; quid senserint et egerint nonnulli turbatores aut principes si respiciamus, satis esse ut vices Europæ intelligamus[2] : « e tribus casi-

1. A. Thierry. « Le grand précepte qu'il faut donner aux historiens, c'est de distinguer au lieu de confondre... » Il faut élever « une barrière contre l'irruption désordonnée de la philosophie dans l'histoire. » Cit. in Jullian. *Extr. des historiens français du* xixe *siècle*, p. 42, 100.

2. *Histoire politique de l'Europe contemporaine*, p. 805. « Une tendance naturelle à attribuer les grands effets à de grandes causes nous porte à expliquer l'évolution politique, comme l'évolution géologique par des forces profondes et continues, plus larges que les actions individuelles. L'histoire du xixe siècle s'accorde mal avec cette conception... Ce son trois accidents qui ont déterminé l'évolution politique de l'Europe contemporaine. »